

Le texte proposé ici a été établi a partir de l'édition publiée à Schwäbisch Hall, en 1539.

AD CLARISSIMUM VIRUM D. JOHANNEM FICINUM  
 AB LICHTENAUIA ILLUSTR. PHILIPPI HESSORUM PRINCIPIS ETC.  
 A LIBELLIS ET CONSILIIS SUPREMUM PATRONUM ET AMICUM INCOMPARABLEM SUUM  
 HELII EOBANI HESSI BUCOLICORUM DEDICATIO.

I_1A	v.1	Cum sit non tantum patrias, Ficine, per urbes
	2	cognita virtutis prodiga fama tuae,
	3	cum tua certatim populi praeconia linguae
	4	laudibus aeternis hic et ubique vehant,
	5	cum, si vera fides populari adhibenda favori est,
	6	multorum laudes unus habere queas
	7	et merito cum sis tam multa dote beatus
	8	non est de meritis fama maligna tuis.
	9	Dignus honorata mihi visus es esse Camena
	10	quae victura tuum nomen in astra levet
	11	quam mihi difficilis quoniam natura negavit
	12	nec satis ingenii vena benigna fuit
	13	officio volui praestare quod arte nequibam
	14	illius haec instar, hujus et illud habet.
	15	Ergo mihi Andino cantata Idyllia versu
	16	munus amicitiae fer, precor, esse meae,
	17	fer, precor, ista suis dignissima carmina silvis
	18	tuta patrocinio nominis esse tui.
	19	Illa tuae siquidem famae monumenta dicamus
	20	in quae parca nihil juris habere queat,
	21	accipe florentis lusum Ficine Thaliae,
	22	accipe et aetatis jam gravioris opus,
	23	lusimus illa quidem partim juvenilibus annis.
	24	Quae nunc bis seno carmine secta manent
	25	bis duo lustra duas messes mea vita peregit :
	26	quo toga silvestris tempore sumpta mihi est,
	27	nunc eadem decimi tangit confinia lustris
	28	istis adjicimus quae nova scripta vides.
	29	Haec tamen hoc illis distant quod grandius audent
	30	nec modo Bucolicum concinuisse melos
	31	egressaeque suis urbes invisere silvis

32 tangere et agresti regia tecta pede  
 33 non tamen oblitae caulas liquisse, nec ultra  
 34 quam deceat populo rustica verba loqui  
 35 his plura adjiciam, faveant modo tempora parcae  
 36 et si nil aliud certe ego pastor ero.  
 37 Sic tamen et silvas, ut nunc quoque, saepe perosus  
 38 inveniam reges inter et arma locum  
 39 forsan erunt qui nos legem servasse negabunt  
 40 carminis, exemplo nec potuisse trahi.  
 41 Nulla meas poterit terrere calumnia Musas  
 42 quo minus efficiant quod meditantur opus.  
 43 Attamen exemplis si res fuit ista tuenda,  
 44 aspice quam invidia culpa sit ista minor :  
 45 duxit in insuetas Romana palatia silvas  
 46 Itala qui Phrygium vexit in arva Ducem.  
 47 Ipse Syracusia praelatus arundine pastor  
 48 reges lanigeras concinit inter oves ;  
 49 alterius linquens Arethusia flumina, summum  
 50 Sicelis Ausonium pingit arundo ducem.  
 51 Me quoque conantem paulo majora, poetis  
 52 aemula posteritas, quae tulit ista, feret  
 53 sicut enim illorum quondam nova, sera secuta est  
 54 sic mea posteritas me quoque sera manet.  
 55 Ergo age, digne mea multo meliore Camena  
 56 accipe Bucolico carmina facta pede.  
 57 Quae si quando leges et quae prior edidit aetas  
 58 et quae posterior, cautus ubique leges  
 59 ne prior offendat nimios quod cantat amores  
 60 et ne posterior quod nimis alta sapit.  
 61 Sed quoniam ratio tibi reddita sufficit hujus,  
 62 nunc etiam alterius causa tuenda venit  
 63 Multa meo, fateor, venus est in carmine, verum  
 64 quam ferat aut aetas, aut rude carmen amet.  
 65 Quis non aetati juvenili indulgeat istis  
 66 lusibus et casto forsam amore frui ?  
 67 Quis non Bucolico ferat has in carmine nugas  
 68 quo nullum vena simpliciore fluit ?  
 69 Non tamen hic aliquem frustra cantamus Alexim  
 70 igne puellari carmina nostra calent.  
 71 Adde quod inculti non sunt nisi ludicra versus  
 72 in quibus est praeter saepta bovesque nihil,  
 73 in quibus ut ludis juvenilibus omnia constant :  
 74 sic Venus est juvenum mollibus apta jocis.  
 75 Dixeris, at quandam jam nunc quoque ludis Iolen  
 76 mollis et in quadam parte puella tibi est :  
 77 da venjam, non hic nostri cantantur amores  
 78 sunt ea Sicanii carmina vatis opus.  
 79 Plura etiam his dici poterant, quibus ista fuisset,  
 80 iudicibus Musis, causa peracta satis,  
 81 sed mihi non libuit, plus quam licet, esse deserto  
 82 causa quod haec agitur non aliena mihi.  
 83 Quam si forsam edax urgebit, ut omnia, livor  
 84 rem non cum pueris sentiet esse sibi.  
 85 Tu, Ficine, tuae gentis decus, ista videbis  
 86 si quando a curis otia liber ages,  
 87 liber ab illustris curarum mole Philippi  
 88 quod tibi tam raro vix datur, ista leges  
 89 illius ista legens mirabere utrumque parentem,

90           ipsius hic cernes dulce genethliacon,  
 91       nam patri indidimus laudati nomen Iolae  
 92           mater, ut agnoscas, est Galatea mihi.  
 93       Sic ego tum magni Guilielmi facta canebam  
 94           mille locis, isto tempore paene puer  
 95       ipsius hic etiam agnosces encomia, quem nunc  
 96           gaudet habere suum patria nostra ducem.  
 97       Quae nunc aucta magis feci virtutibus aucto  
 98           Principe, qui laudes temporis hujus habet,  
 99       quem mea jam talem depinxit Musa Philipppum  
 100           qualia Pelidae Maeoni facta canis.  
 101       Sunt tamen haec alio nobis cantata libello  
 102           fistula pastores, non tuba rauca decet :  
 103       qui labor ingrato quoniam fuit ante dicatus  
 104           gratior hoc nobis inveniendus erat.  
 105       Quem cum te primis sensissem semper ab annis  
 106           fama dari merito debuit ista tibi  
 107       non tamen haec ulli sic sunt inscripta nec umquam  
 108           qualia nunc cernis scripta fuere prius.  
 109       Haec igitur nulli potius, Ficine, dicarim  
 110           quam tibi qui patriae tam decus hujus amas.  
 111       Huic ego cum dederim primi nova tempora veris  
 112           autumni fructus debet habere mei  
 113       quod superest tibi pastores, Ficine, dicatos  
 114           quaque fide debes adsere quaque potes.

HELII EOBANI HESSI BUCOLICORUM IDYLLION PRIMUM.

MELISAEUS, CAMILLUS.

MEL.

I\_1B    v.1       Alma sinum vario turgentem germine mater  
           2       pandit, opes nobis nostras paritura, Camille.

CAM.

3       Quae mater ? Quas promit opes ? Quo germine turget ?  
 4       Non sic pastores nostri, Melisae, loquuntur.

MEL.

5       Vere novo jam concepto se prodiga fetu  
 6       solvit humus, panditque sinum, surgentia vernant  
 7       pascua, nunc laxis passim viridantia rivis  
 8       gramina luxuriant, nunc omnibus omnia terris  
 9       sponte sua veniunt, patria tu solus in umbra  
 10       otia degenerem teris absumptura juventam

CAM.

11       ut, Melisae, tuae veris nova tempora Musae  
 12       gratia depingit similem sibi nacta colorem ?  
 13       Quid facerem vero ? Quaeve his potiora relictis

14 prata sequar Muis et Apolline digna bubulco

MEL.

15 et tu, Pieridum puer enutrite sub umbris,  
16 veris adhuc in flore virens impuberis aevi  
17 non indigna canis Muis et Apolline, quamvis  
18 nondum capripedem tua fistula Pana lacessat

CAM.

19 inter Phoebeos ut ineptit noctua cantus  
20 sic mea, sic aequat tales mea musa poetas  
21 qualis es Aonidum nuper digressus ab undis  
22 ni mihi vana animum veri delusit imago

MEL.

23 Jam satis haec, tu perge via, nec desere coepta,  
24 sed te summa licet mirentur culmina sacrum  
25 cantantem sine teste melos, hic fenore nullo  
26 ludis, et heu sterilem quondam experiere camenam.  
27 Pascua cum sero patriae placuisse dolebis  
28 desertas inter pecudes inconditaque arva,  
29 tam dulces annos, tam florida tempora perdis.  
30 Nos alios fines melioraque rura tenemus  
31 pastores, quos fertilibus Thuringia pratis  
32 pascit, fortunate puer, si talibus arvis,  
33 si tali liceat mecum considerare terra  
34 et dites habitare casas, et plena videre  
35 ubera, quae totos implent mulctralia soles.

CAM.

36 O Melisae, tui decus et nova gloria ruris  
37 Daphnes ornari foliis dignissime, nondum  
38 talis eras quando hinc laudatam egressus in oram,  
39 si memini placidos liquisti invitus amores  
40 pulchra quibus miserum te perdidit ignibus Aegle.  
41 Quales tum lacrimas in te, quam multa notavi  
42 innumerabilibus suspiria ducta querelis,  
43 istius ignarus populantis pectora flammae,  
44 nunc quoque sed quiddam tale esse in amantibus aiunt

MEL.

45 Nemo vir est qui non fuerit puer, attamen omnes  
46 quis neget? A primis pueriliter egimus annis  
47 atque utinam, crescente aevo, sapientia saltem  
48 crescat, et obrepens veniat cum laude senectus.

CAM.

49 Non mihi jam pastor tantum, Melisae, videris  
50 qui canat in triviis passim, sed qualibus aiunt  
51 Orphea carminibus fatum deflesse nefandum  
52 dilectae Eurydices silvasque et saxa canoris  
53 contraxisse modis, talem te nostra tulerunt

54 saecula, nate bonis avibus, tibi dexter Apollo  
55 spirat, et Aoniae veniunt ad plectra sorores.

MEL.

56 Tu quoque dumosis licet in convallibus erres  
57 et lacer, heu, sola totis sub rupe diebus  
58 carmina per duras longe resonantia cautes  
59 concinis, aeterna dignus quem fronde coronent  
60 Pierides, nec enim credebam in vepribus istis  
61 talia silvicola quemquam potuisse Camena  
62 qualia vel nostrae mirentur carmina Musae.

CAM.

63 At tu quando humili verbis illudis amico  
64 agnosco ingenii vires non ista ferentis  
65 grandia, quae vestri pastores mille loquuntur  
66 verum age quando breves exaltatissimus umbras  
67 sol jacet, et valles, et frigida lustra capellae  
68 pascentesque tenent rivo loca proxima tauri,  
69 dic, age, quam vobis felicia pascua, quae vos  
70 tam doctos regio pastores educat, unde  
71 aut quare patrios tandem remearis ad agros,  
72 dic, age, jam lectas omnis grex ruminat herbas.

MEL.

73 Quod petis auditu dulce est, et amabile dictu  
74 quin prius huic ambo gelidae succedimus umbrae  
75 ne calor aestivus sitientia labra retardet.

CAM.

76 En etiam his dulces saliunt radicibus undae  
77 hic puri latices quos plurima quercus inumbrat :  
78 hic mihi grata quies, alia tu parte sedeto  
79 his tamen incepto dilabimur, incipe, vates,  
80 incipe ut adversae stupeant tua carmina silvae.

MEL.

81 Proxima monticolis Thuringia terminat Hassis  
82 imperium, dives regio florentibus arvis  
83 laeta jugis nemorum, sed multo laetior agro  
84 illic flava Ceres, et pleno copia cornu  
85 spargunt innumeras millena per horrea messes.  
86 Ipse ager obducta latuit prius omnis arista ;  
87 tum gravidae plenae turgent in collibus uvae  
88 vinaque nescio quo, non inferiora Falerno  
89 exsulant, motura suis fera bella colonis.  
90 Sunt etiam gregibus sua pascua, dum viret annus  
91 mille per abruptos montes, et summa capellae  
92 transcendunt juga, mille boves in vallibus herbas  
93 non ullo fetas carpunt serpente, nec ullas  
94 raptorum insidias umquam timere luporum  
95 incustoditae per pascua tuta vagantur  
96 lanigerae pecudes, et culta novalia tondent.

97 Jamque aliquis summo spectans de vertice pastor  
 98 certantes in valle stupet, plena omnia Musis.  
 99 Hic sua quae patitur solatur vulnera, quali  
 100 Tityrus extinctum deflevit arundine Daphnim :  
 101 ille deum laudes, primisque Heroas ab annis  
 102 concelebrat, calamis alius, stridentibus alter  
 103 corticibus salicum nymphas veneratur agrestes  
 104 formosae Veneres illic, et Phyllides errant  
 105 omnis Hamadryadum chorus, omnes Naiades, omnes  
 106 Nympharum dominae Charites, florumque Napaeae  
 107 nec non pastorum faciles, bona numina, Divi  
 108 Silvani, Satyrique leves, faunisque salaces :  
 109 in medio Pan ducit Oreadas ipse, moventes  
 110 blanda parum cautis lascivo incendia motu.

## CAM.

111 Quid tamen audaces faciunt in Phyllide Fauni ?  
 112 Quae tam blanda movent lascivae incendia nymphae ?  
 113 Absint nequitiae nostris ab ovilibus omnes.

## MEL.

114 Macte puer, tali dulcem visure senectam  
 115 ingenio, si firmus eris, nunc coepta sequemur.  
 116 Urbs vetus in media est regione Erphurdia nostris  
 117 dicta, potens, opulenta, ingens, quam praeter amoenus  
 118 et peragit cursum, non uno flumine, Hieras  
 119 illa vorat duri quicquid peperere labores  
 120 seu pera, seu pilleolo, seu forte galero,  
 121 seu manicis opus est, donat pro munere merces  
 122 illa etiam, si forte voles, pro vellere nummos  
 123 porrigit, et rem re mutat, vorat omnia, reddit  
 124 omnia, pro tribulis spinas, pro verbere plagas.  
 125 Quare age dum primo vernat tua flore juventa  
 126 collige si qua tenes parvi congesta peculi  
 127 felices mecum campos, et pingua rura  
 128 quaere nocent pecori vepres, et tristis acanthus.

## CAM.

129 Hessia dives agris densisque uberrima silvis  
 130 finitimas, ne praefer, opes ita vincit, ut agnum  
 131 imbellem furibunda audax in proelia taurus :  
 132 ut fluvio parvum superat vagus Aedera Nemphim  
 133 Aedera qui fulvas auro despumat arenas,  
 134 hic fluviis alacres praeterlabentibus herbae  
 135 alludunt, cernis quam consita litora, quam sit  
 136 pingue solum, viret omnis ager, circumque rident  
 137 gramina stagna, lacus, fontes, rivosque salubres ;  
 138 aspice summa procul frondentis culmina Gosi  
 139 quam nitet, et ver aspectu testatur amoenum  
 140 hos agros, has delicias, haec pascua linqum ?

## MEL.

141 Pana per et nymphas, et rustica numina juro  
 142 omnia sordebunt quae nunc mihi pascua laudas

143 nostra ubi contigeris deductis rura capellis.

CAM.

144 Ergo meae nuper curae loca nota valete,  
 145 plus valet his agris doctae facundia linguae  
 146 te quaecumque vocas Melisae in regna sequemur  
 147 seu tu Sauromatas ultra Tanaimque nivalem  
 148 ire jubes, sive est quicumque quod pascitur ultra :  
 149 tu vero infelix mecum laudata videbis  
 150 rura pecus, laetos fines i perge videndum.  
 151 O cui non licuit patrios errare per agros  
 152 amplius, et quondam consuetas carpere frondes.

MEL.

153 Sol ruit interea, vocat ad mulcralia vesper.  
 154 Sume pedum, compelle gregem, pecus omne recense  
 155 ne quis forte absens in vepribus haereat hircus.

EOBANI HESSI BUCOLICORUM IDYLLION SECUNDUM.

CANTILENA PHILETAE.

I\_2 v.1 Carmina cum primum mihi pastoralia divae  
 2 Pierides canerent, et me florente iuventa  
 3 Juppiter indueret, tum sic Eobanus in umbra  
 4 inter oves caro cecini, jam pastor, amico.  
 5 Vallis erat curvo multum secreta recessu  
 6 clausa jugis vitreo manans laetissima rivo  
 7 Musarum domus, arvicolis gratissima Musis  
 8 hac olim, domini qui tum nemora illa tenebat,  
 9 cum servaret oves puer in convalle Philetas,  
 10 quod tum floreret juvenis, quod mollibus annis  
 11 ferventi dulces sequeretur pectore Musas  
 12 ad rivum salientis aquae cum saepe veniret  
 13 ludere fragranti sic est auditus in herba.  
 14 "Musae noster amor, dulces mea gaudia Musae  
 15 pro Jove quae Christum canitis, quae rura beati  
 16 sideris Eoim longe projecta sub orbem  
 17 incolitis, fatali ubi saevus ab arbore serpens  
 18 pastorem jussit vetitum decerpere pomum,  
 19 ite novos Musae flores legite, ite Camenae  
 20 vos ego per silvas, valles, juga, saxa, cavernas,  
 21 per mare, per fluvios, per devia lustra ferarum,  
 22 vos ego per pluvias, per agentes nubila ventos,  
 23 per duras hiemes, laedentesque arva pruinas,  
 24 vos ego per tenebras sequeretur noctesque profundas.  
 25 O si aliquis volucres mihi protinus induat alas  
 26 praepetibus pennis ad vos ego saepe venirem,  
 27 seu nemus Aonium, seu vos Heliconia tempe  
 28 incolitis sacra redimitae tempora lauro,  
 29 Musae noster amor, dulces mea gaudia Musae,  
 30 carmina sacrorum sunt immortalia vatam,

31 immortalis honor : pereunt aes, purpura, gemmae  
 32 quas nigris avidus tollit mercator ab Indis,  
 33 nomina me fugiunt urbanae cognita plebi  
 34 jaspida me docuit mater, viridemque Smaragdon  
 35 quaeque gerunt collo suspensa corallia nymphae,  
 36 omnia praetereunt, nescitis fata Camenae.  
 37 Vos mea cum dulci captatis pectora flamma,  
 38 despicio quicquid curae est mortalibus usquam,  
 39 nec mirum, vobis praesentibus omnia sordent.  
 40 Musae noster amor, dulces mea gaudia Musae.  
 41 Luxuriant Zephyro flores, nova gramina rivis,  
 42 vitali pluvia Cereris sata, fontibus horti,  
 43 fluminibus salices, procera paludibus alnus,  
 44 graminibus vaccae, lascivae fronde capellae.  
 45 Vos mea cura deae, Musae mea sola voluptas,  
 46 ite novos Musae flores legite, ite Camenae.  
 47 Non ita mellitae sapiunt mihi dulce placentae,  
 48 non pira, non cerasum, non grati segmina porri,  
 49 non oleo perfusa Ceres, non cocta polenta,  
 50 non sic hesterno conspersum lacte moretum,  
 51 quam vestrum mihi dulce decus, quam vos mihi gratae :  
 52 Musae noster amor, dulces mea gaudia Musae.  
 53 Sum puer, et viridi suco mea pullulat aetas,  
 54 ut nova quae verno turget de palmite vitis.  
 55 Et mihi forma decens, nuper cum pectine crines  
 56 comeret hos niveo, dixit mihi sedula mater :  
 57 "Accipe et in speculo te contemplare, Philetam.  
 58 Vicinum forma superas, nisi fallor, Adonim."  
 59 Vestrum quicquid id est, dixi, mea gaudia Musae  
 60 hoc decus, iste vigor, vobis mea pullulat aetas.  
 61 Ite novos, Musae, flores legite, ite Camenae,  
 62 integer ut putri turgescit surculus agro.  
 63 Sicut senta rosae subter spineta rubentes,  
 64 sic ego vester ero, donec superesse Philetam  
 65 fata volent, vos acceptum referetis honorem  
 66 hunc mihi, stabit enim nivei flos ille pudoris,  
 67 qui nunc utilibus vobis effloret ab annis.  
 68 Musae noster amor, dulces mea gaudia Musae,  
 69 dicite quae potior, quae major in orbe voluptas  
 70 quam Musas colere, et Musarum amplexibus uti,  
 71 vivere apud Musas, doctis se tradere Musis ?  
 72 Ite procul Veneres, et inanis gaudia formae,  
 73 forma, genus, tituli, fastus, laus, gloria, sanguis :  
 74 me juvat in viridi requietum gramine doctam  
 75 ducere segnitiam, tactis ubi laeta lapillis  
 76 unda sonat, tacitaeque labans admurmurat aerae,  
 77 laetaque florentes extendit populus umbras.  
 78 Ite novos Musae flores legite, ite Camenae.  
 79 Lilia verna, rosas, et odoriferos hyacinthos,  
 80 alba ligustra, crocum, violas, et quicquid ubique  
 81 natura uberibus florum genus edit in hortis,  
 82 cingite victuros milleno flore poetas,  
 83 inter quos utinam quota pars ego nomen haberem,  
 84 valle sub hac viridi canerem te maxime Apollo,  
 85 qui Musas inter sanctas in monte quiescis.  
 86 Sidereo, vultuque vides haec pascua laeto.  
 87 Carmina morte carent vatium, gaudete capellae,  
 88 rodite frondosas fagos, sperate capellae,



89 cras ego vos liquido totas in fonte lavabo,  
 90 monte sub aereo, solis qui prospicit ortum,  
 91 largiter emanans, ubi parvo condita colle  
 92 prominet, et celebrem reditu Gotha possidet agrum :  
 93 i caper, ite meae, mecum gaudete, capellae."  
 94 Sic bonus ille puer cecinit, quae carmina pastor,  
 95 qui tum vicinis latuit Thrasybulus in alnis,  
 96 omnia concepit : namque illo doctior alter  
 97 non fuit, et suaves incidit in arbore versus.  
 98 Exstat adhuc praegnans in cortice littera, felix  
 99 cresce arbor, viridi crescetis in arbore versus.  
 100 Atque olim spectans aliquis vos crescite dicet  
 101 crescite, et in vestri famam supereste poetae.

HELII EOBANI HESSI IDYLLION III.

CYGNUS, PHILAEAGON.

CYG.

I\_3 v.1 Hic ubi seclusas salices vagus ambit Hieras,  
 2 et virides umbrant alni, quae litora circum  
 3 crebra repercussis resonat mugitibus Echo,  
 4 hic ubi felices ditant sata pingua pagos,  
 5 villarumque casas, et pastoralia tecta,  
 6 hic mihi parta quies maneat. Quid, amice Philaegon,  
 7 num tibi et hac mecum placeat considerare terra ?  
 8 Inter inurbanas matresque rudesque puellas ?  
 9 Sed similes ipsis vultus et pectora Nymphis  
 10 tam dulces curas, et inertem ducere vitam

PHIL.

11 Cygne, nihil tecum prohibet requiescere, postquam  
 12 nuper in hoc redeo piscosi litus Hierae,  
 13 et veteres socios post tempora longa reviso,  
 14 jam dudum exosus rapidi mala pascua Fuldae,  
 15 quaeque rigat gelidus lapidoso flumine Nessus.

CYG.

16 Pascua sed memini patrii laetissima Fuldae,  
 17 laudibus immodicis mihi tu memorare solebas.

PHIL.

18 Non sunt ut fuerant nostris jucunda capellis,  
 19 laeta satis, sed me deus huc agit ipse volentem.

CYG.

20 Ergo age, in hoc gelido postquam consedimus antro,  
 21 unde pecus patet, atque oculis vicinia nostris,  
 22 estne aliquis gelida Faustus tibi lectus in umbra ?

PHIL.

23 Vidimus audaci fluidum pede currere Faustum,  
24 cui nihil inuideat noster nolitque secundum  
25 Tityrus et patria natum patiatur eadem.

CYG.

26 Atqui pastores quosdam contentio nuper  
27 illa diu tenuit, paribusne in carmina surgant  
28 viribus, alteriusne an deferat alter honori.

PHIL.

29 Ut lentas corulos damnosa securibus ilex,  
30 quantum humiles superat cornus ramosa genistas,  
31 tam meus in versu praecedat Tityrus illum,  
32 qui Faustum gelida cecinit resupinus in umbra.  
33 Ah, male quorundam trivialis iudicat error.  
34 Tu quoque non gravibus quamvis utare Camenis,  
35 et tua non aequet Mantoos Musa poetas,  
36 per tua rura tamen non infeliciter audes  
37 antiquos revocare modos, et carmina pastor  
38 Romula Teutonicas passim cantare per oras.  
39 Sed quid inurbanas matresque rudesque puellas  
40 commemoras, incaute puer? Quid talibus autem  
41 illecebris pares? Non debent talia vates.  
42 Sit procul a Musis Venus et puer ille cupido,  
43 quem semper volucres aiunt portare sagittas.  
44 Est alacer passim pueros volat inter amantes,  
45 et ferit incautos, et dulcia vulnera nutrit.  
46 Sed tantum pueros, nam qui sapit odit amores:  
47 felix rure suo, et parvo contentus agello,  
48 non aliqua laesus Venere, hic si pauper egebit,  
49 dummodo succedat pecus et bona copia lactis,  
50 laetus erit, pomisque famem solabitur aegram.  
51 Arbuta silvestresque nuces edet, illius otii  
52 dulcis amor, secura quies, aeterna voluptas,  
53 o igitur mihi cara soror, mihi frigida mater  
54 instruat ardentemque focum, tenuemque culinam  
55 et panes et olus, lac et cochleare ministret.  
56 Ipse ego lactentes agnas et ovilia secter,  
57 felix pace bona, et tranquillo tutus in antro.

CYG.

58 Aut lapis est, aut truncus iners qui nescit amorem,  
59 nemo terdecimum quin arserit attigit annum,  
60 dic ubi vidisti mutatis corpora formis  
61 diversum genus, in furias ignemque ruisse?  
62 Dic ubi nec nostri generis nec sanguinis infans  
63 editur? Et gratos tecum linquemus amores.

PHIL.

64 Dicere quid sit amor, quam fortis et impiger ales  
65 non aliquis nostris in papilionibus audet;  
66 hinc tamen errantes prius, hinc age, Cygne, capellas

67 rejice, ne fractis intrent sata saepibus, ito  
68 lascivum pecus est hircus, lasciva capella.

CYG.

69 Vos sata, vos cytisum, vos gramina laeta capellae  
70 o felix pecus, et florentes carpitis herbas :  
71 me me, qui primis custos sum vester ab annis,  
72 torquet inexhausto pulcherrima Chloris amore,  
73 quamvis illa meos miserata utcumque dolores,  
74 saepius has mecum vobis pascentibus alnos  
75 viderit, o dulces salvete perenniter herbae,  
76 in quibus illa sedens delapsa in gramine palla,  
77 explicuit flavasque comas teretesque papillas ;  
78 dicite felices, ubi nunc mea cura, capellae ?  
79 An duro conjuncta viro ? Jam nupta marito  
80 scilicet interclusa meos dediscet amores ?  
81 Hei mihi quam perii, quam sum mutatus ab illo  
82 alite, quem pharetram dixit gestare Philaegon.

PHIL.

83 Cygne, quid est, donec pecus hinc a saepibus arces,  
84 quod quereris ? Totis resonat querimonia silvis.

CYG.

85 Perfidus ille hircus potum descendit ad amnem,  
86 quem procul haec molli tangit via pendula clivo,  
87 ipse pecus revocatum ad cognita flumina veni,  
88 sed satis est, profugo convicia fecimus hirco,  
89 quae repetisse grave est, et me manet improba poenae  
90 condicio, si quid numerato de grege desit.

PHIL.

91 Qualia, Cygne, tuo convicia feceris hirco,  
92 ipse tuus, ne finge, docent vultusque colorque.  
93 Nulla quidem talis sequitur convicia pallor.

CYG.

94 Et vultu et signis nihil est fallacius istis,  
95 irascebar enim nec me pallere notabam,  
96 sed rubui magis et vultus incendia sensi.

PHIL.

97 Ut rubet ancipiti contusum forcipe plumbum,  
98 ut matutina nova luna rubescit in unda,  
99 sic tu, Cygne, rubes, talem Venus ipsa colorem  
100 induit, Idalios quos dudum torret ad ignes.

CYG.

101 Improbe amor quam te non ulla umbracula celant,  
102 quam te nulla tegunt velamina, nulla premit vis,  
103 indicio satis ipse tuo te prodis, et idem

104 quo latuisse voles magis, hoc incedis aperto :  
 105 prodigus ore tui magis, et tua furta revelas.  
 106 Sed quid agam ? Curis corpus consumor acerbis,  
 107 quique animus fuit ante potens, fortisque ferendis  
 108 omnibus, et duros potuit tolerare labores,  
 109 aeger amore jacet, lentoque absumitur igni.  
 110 Quae medicina queat satis hos curare dolores ?  
 111 Heu, vanae herbarum vires, promissaque caecis  
 112 carmina vulneribus, captas ludibria mentes,  
 113 non magis ista juvant quam captum lumine fulgor  
 114 sideris, aut surdum clamosi verbera ponti.  
 115 Sed crucior, penitusque leves vis ista medullas  
 116 intrat, et occulto serpit per viscera lapsu.

PHIL.

117 Pone modum miseris, quibus impetus iste, querelis  
 118 pascitur, et saevo paulatim assuesce dolori  
 119 cedere, dedidicit qui parce indulisit amori.

CYG.

120 Qui parce indulisit magis arsit, copia detur,  
 121 victus abibit amor, minuit praesentia amorem :  
 122 fortior absentes urit Venus, ista Philaegon  
 123 cum sit firma parum, partem de peste levaris,  
 124 si possis alia misero ratione mederi.

PHIL.

125 Vera quidem, sed plus quam pastoraliter audes  
 126 ista loqui, tetricam consulta decentia barbam.

CYG.

127 Sentio, nec falsa confixus arundine, verum  
 128 quod loquor experior, quam vellem posse negare  
 129 quae fateor, quamvis miserum tamen ista fateri  
 130 quadam parte juvat, sed ab isto languida motu  
 131 vulnera crudescunt, utinam non illa fuisset,  
 132 quod fuit, aut illam quo primum tempore vidi  
 133 illo rupissent tetricae mea fila Sorores,  
 134 quae nunc ingratae producunt tempora vitae.

PHIL.

135 Quid si iterum redeat seroque revisat amantem,  
 136 amplexusque ferat ? Communiaque oscula jungat ?

CYG.

137 Hoc erat o superi quod vos ego saepe rogabam,  
 138 vestras muneribus veneratus agrestibus aras  
 139 annuat his votis aliquis Deus, omnia fient  
 140 candida, nigra prius, fiet rosa tristis acanthus :  
 141 flava soporiferae sudabunt mella cicutae.

## PHIL.

142 Illam fata tibi reddent meliora, tuamque  
 143 esse sinent, quoniam nec iniquis ignibus ardes,  
 144 nec tua dedecori est florenti forma iuventae.  
 145 Interea obdura, donec sperata reducant  
 146 sidera, quod lenta cruciat tua pectora flamma.

## HELII EOBANI HESSI BUCOLICORUM IDYLLION IIII.

## TITYRUS, BATTUS, THRASYBULUS.

I\_4 v.1 Pastores viridi duo convenere sub umbra,  
 2 pandentis placide frondentia brachia fagi,  
 3 Tityrus et Battus, pictas ubi plurima ripas  
 4 alluit, et dulces labens ciet unda susurros.  
 5 Una aetas ambobus erat, formosus uterque,  
 6 carmine uterque potens, et tum certare parati  
 7 sederunt studio intenti, calamosque ligabant.  
 8 Forte supervenit Thrasybulus, protinus illum  
 9 ut pueri videre, prior sic Tityrus inquit :

## TITY.

10 Huc ades, o Thrasybule, pecus jam dormit in umbra,  
 11 huc ades, et nostri iudex certaminis esto.  
 12 Nam tua per nostras clara est sapientia silvas.

## THRAS.

13 Audaces pueri plus quam pueriliter ausi  
 14 alternis certare modis, audacia laus est  
 15 in puero si non temeraria, dicite quales  
 16 victor opes referet ? Quae pignora ponitis ergo ?  
 17 Ipse ego quandoquidem mihi stant ad flumina tauri,  
 18 et pecus omne levi fessum requiescit in umbra,  
 19 iudex vester ero, et meritis sua praemia solvam.

## BATT.

20 Hunc tibi lunatum pro pignore ponimus arcum,  
 21 Tityre, quem duro tenerae de stipite corni  
 22 fecimus his manibus, tornoque polivimus acri,  
 23 distinctum nervis bubulis, viscoque tenaci.  
 24 Aspice deductum circum duo cornua funem.  
 25 Quam bonus Herculeis gravius ferit ille sagittis,  
 26 hic mihi quot volucres dejecerit arbore ab alta,  
 27 saepe etiam ex ipso, dictu res mira, volatu  
 28 praecipites caelo lapsas manibusque prehensas  
 29 praebuerit, non est numero comprehendere certo,  
 30 dextro Phyllirides cornu caelatus, ut ille  
 31 spicula cum pharetra puero praemonstrat Achilli.  
 32 Gnosius ex alio serpentem interficit Alcon.  
 33 Ut puer illaesus docto sua tela parenti

34 integer, et medio velut e Phlegetonte reportat :  
 35 saepius hunc nobis invidit stultus Amyntas.

TITY.

36 Munere si mecum, Thrasybulo iudice, certes,  
 37 vicimus, en ista quae pendet fistula quercu  
 38 illa tuum certe pretio supereminet arcum.  
 39 Non calamis compacta tribus, rudibusve cicutis,  
 40 non cera connexa levi, quibus improbus olim  
 41 Pan deus agrestes docuit resonare poetas,  
 42 sed teres e viridi buxo tornata monaulos.  
 43 Quam tamen ipse vola nequeas includere, quamvis  
 44 longa tibi digitum pater internodia fecit.  
 45 Hanc ego muneribus venalem grandibus emi,  
 46 vellera bina dedi raptamque a matre capellam.  
 47 Hac ubi personui scopulo vocalis ab alto  
 48 floruit omne nemus, fragrabant lilia, flores  
 49 fundebat genialis humus, gravis aura quievit,  
 50 spirabant Zephyri ventusque sonantior ibat :  
 51 demulcens leni circum mea tempora flatu,  
 52 illa tuo quantum caelata fidelius arcu  
 53 cernis ut hic fugiat victorem Marsya Phoebum ?  
 54 Demens qui divos vocat in certamina, cernis  
 55 auriculas Phrygio per tempora surgere regi ?  
 56 Hic etiam exceptum Misenum in litore Triton  
 57 obruit, arrident servantes proxima nymphae.  
 58 Illam, Batte, tamen tecum deponimus, ergo  
 59 quis prior incipiat tibi sit, Thrasybule, relictum.

THRAS.

60 Ludite jam pueri, satis est pro pignore dictum,  
 61 ludite, ut incipiant motare cacumina silvae,  
 62 blandaque formosae saliant ad carmina nymphae.  
 63 Incipe, Batte, prior, tua carmine dignior aetas.

BATT.

64 Dicite, Pierides certantes, dicite, Musae,  
 65 quis fuit ante chaos, et prima exordia rerum ?  
 66 Quis mare ? Quis terras ? Quis lucida sidera fecit ?  
 67 Unus in aeternum qui contrahit omnia regnum,  
 68 gratia Pierides, vobis sit gratia Musae.

TITY.

69 Annuite, Aonides, Musae spirante faventes,  
 70 virginis intactae castum referemus amorem,  
 71 Christophorae, sed quae genialis nescia lecti  
 72 edidit arcano conceptum semine natum,  
 73 gaudete, Aonides, Musae, exsultate faventes.

BATT.

74 Quis movet hanc molem ? Tantum quis temperat orbes ?  
 75 Quis rutilum fissis jaculatur nubibus ignem ?  
 76 Unus ab aeterna mundi ratione creator

77 gratia Pierides, vobis sit gratia Musae.

TITY.

78 Vidit et incaluit, non vidit et acrius arsit,  
79 nobilis in solo flagravat nomine virgo.  
80 Ut calet a Zephyro pingui flos pulcher in horto,  
81 gaudete Aonides, Musae exsultate faventes.

BATT.

82 Quis prohibet ventos ? Quis rauca tonitrua torquet ?  
83 Quis nebulam spargit ? Quis nubes denset in arctum ?  
84 Unus qui rerum solus discrimina novit.  
85 Gratia Pierides, vobis sit gratia Musae.

TITY.

86 Dum flores inserta legit, dum sola per agros  
87 errat, ab Eoa perflavit spiritus aura,  
88 quando afflata novum concepit virgo tumorem.  
89 Gaudete Aonides, Musae exsultate faventes.

BATT.

90 Quis novat has segetes ? Quis campum pingit arista ?  
91 Quis fecundat agros ? Quis silvam frondibus ornat ?  
92 Unus qui propria nescit virtute secundum.  
93 Gratia Pierides, vobis sit gratia Musae.

TITY.

94 Interea dulci tumuit gestamine venter,  
95 edidit in terris similem caelestibus ipsis,  
96 virgineum meruit genetrix servare pudorem.  
97 Gaudete Aonides, Musae exsultate faventes.

BATT.

98 Quis veteres Faunos ? Satyros quis trusit ad umbras ?  
99 Quis Phoebum et Bacchum ? Quis numina cuncta deorum ?  
100 Unus qui solus Deus est et cuncta gubernat.  
101 Gratia Pierides, vobis sit gratia Musae.

TITY.

102 O pia caelesti virgo praelata coronae  
103 huc ades, et nostrum fecunda floribus arvum :  
104 omnia namque potes nati pietate, volentis  
105 omnia te propter, miseris quaecumque rogaris.  
106 Eia age, sic numquam te fistula nostra silebit.

BATT.

107 O pie rex, solo qui dirigis omnia nutu,  
108 huc ades, et nostri custodi saepta peculi.  
109 Ne lupus et rapidi turbent armenta latrones :  
110 omnia namque potes propria virtute, facisque

111 solus, et auxilio tua vis non indiget ullo.

THRAS.

112 Sit satis, inclinata dies requiescere suadet :  
 113 claudite vocales pueri, jam claudite cannas.  
 114 Vicit uterque, ipsi vestrum vicistis utrumque,  
 115 Vos faciunt et forma pares, et carmen et aetas.  
 116 Arcus, Batte, tibi, tibi fistula, Tityre, cedat  
 117 ut prius, et vestros concordem pascite tauros.

HELII EOBANI HESSI BUCOLICORUM IDYLLION V.

ARGUS, PHILEREMUS.

ARG.

I\_5 v.1 Montibus his mecum quondam, Philereme, solebas  
 2 pascere, et alternis nostras concentibus aures  
 3 mulcere, urgentesque animo depellere curas.  
 4 Quae nunc arva tenent ? Quod te nemus ? Aut ubi tandem  
 5 usque adeo solus tecum, Philereme, recedis ?

PHIL.

6 O Arge, infaustos quid adhuc non deseris agros ?  
 7 Noxia quid pecori non linquis pascua ? Quando  
 8 haec inculta rubi steriles, et tristis acanthus  
 9 invisaeque tenent vepres loca, et omnibus agris  
 10 degeneres pro seminibus felicibus herbae  
 11 proveniunt, pecorique obducunt pascua, nec sunt  
 12 quas possint miserae frondes rosisse capellae.  
 13 Nec quisquam in pretio labor est, ubi nulla beatos  
 14 otia pastores faciunt, sed semper egentes  
 15 spe rapiunt facili, suspensaque vota morantur.  
 16 Gramina serpentes habitant, umbrosa lacertae.  
 17 Heu, fuge vicinae ne dum successeris umbrae,  
 18 nudum forte pedem calcatus mordeat anguis.

ARG.

19 Vera refers, nec teste opus est in rebus apertis,  
 20 ipse ego cum pronum sol declinaret ad axem  
 21 sub viridi quercu longum, mirabile dictu,  
 22 hac virga colubrum, qui sub radice latebat,  
 23 ora exsertantem, et summa me fauce petentem  
 24 vix repuli, et toto mulctram cum lacte profudi.

PHIL.

25 Credo equidem, nec quae memoras, mihi mira videntur,  
 26 quando etiam haec vulpes lateant per ovilia, perque  
 27 incustoditas serpat nepa livida caulas :  
 28 est pecudum commissa lupis custodia, cernis



29 limina caede tepent, sparguntur sanguine postes  
30 innocuo, nihil est custode voracius ipso.

ARG.

31 Atqui non depascere oves sed pascere, veri  
32 officium pastoris erat, sed longior haec est  
33 fabula, quam subito quae possit carmine dici.  
34 Forsan et invidiam nostris motura Camenis,  
35 quae nunc arva tenent, quae te, Philereme, morantur  
36 commoda, quae patrio possis praeponere ruri ?

PHIL.

37 Me tenet umbrifero vallis secreta recessu,  
38 ad quartum vestra lapidem, quam servat ab urbe  
39 dives lanigeri pastor gregis, inter et altas  
40 silvarum rupes tuta in statione manentes.  
41 Hic ego propter aquas viridi requietus in antro  
42 saepe leves capio somnos, secura vagantur  
43 per silvas armenta, nihil locus insidiarum  
44 ille habet, haec vita est nostro jucundior aevo.

ARG.

45 Otia quandoquidem laudas, Philereme, fatebor,  
46 ipse ego silvestresque casas, et agrestia tecta  
47 praetulero urbanis opibus vitaeque forensi ;  
48 et me cara parens viridi connixa sub umbra  
49 edidit, et molles circum floralia cunas  
50 dona tulit, teneraque sedens lactavit in herba,  
51 aurifer Hessiacos ubi praeterit Aedera montes  
52 nunc tenet infelix Erphurdia, cujus, ut inquis,  
53 tot mala destituunt, quondam bona, pascua, cujus  
54 et lupus, et serpens, et amantes saxa lacerti,  
55 plenaque ventrosus graditur per ovilia bufo.

PHIL.

56 Plus satis infelix Erphurdia, perdita postquam,  
57 heu, male servatos Res publica luget honores.

ARG.

58 Dum loquimur, tuus in nostram furit ecce juvencam  
59 taurus, et a nostro cornuta fronte repulsus  
60 aestuat, ut grato satiari possit amore :  
61 cernis ut ecce iterum concursant duriter ictis  
62 frontibus, o faveas nostro Pan maxime tauro,  
63 o montana Pales nostro da cornua tauro :  
64 mulctram, diva Pales, capies, Pan magne, coronam.  
65 Vicisti bone taure, tua est victoria, frontem  
66 Ergo feres querna redimitam fronde, placere  
67 sic potes, et niveae conjunctior esse juvencae.  
68 Quid tibi de nostro tauro, Philereme, videtur ?

PHIL.

69 Fortior, et levibus nihil impredientibus armis  
70 mole sua pressum vicit pecus, ergo corona  
71 dignus, at ille pedum meus inter cornua durum  
72 sentiet, ut forti discat concurrere, tandem  
73 tu quoque fers meritam, stolidissime taure, coronam :  
74 i nunc et pugna pro pulchra, stulte, juvenca.

ARG.

75 Ha ! Miserum pecus optato dum ludis amori  
76 et Venerem et pugnam perdis, fers verbera tantum.

PHIL.

77 Sol coquit arentes campos, et corpora fuscet,  
78 umbra juvat, gelidae quid non succedimus umbrae ?

ARG.

79 Gratior hic locus est, tiliis ubi frigida leves  
80 aura agit, et summa Zephyrus sub rupe remugit :  
81 dum tamen hoc ambo viridi consedimus antro,  
82 lude aliquid, Philereme, levant et mutua curas  
83 carmina, nam subitis ego respondebo camenis.

PHIL.

84 Magna canam, non quae sapiant trivialiter, Arge,  
85 non quae quisque sua moduletur arundine pastor.

ARG.

86 Incipe namque tibi praesens aspirat Apollo,  
87 assurgitque tuae vicinia tota camenae.

PHIL.

88 Aspicias aereo sublatum vertice montem  
89 qua levis occidui deflectitur aura Favoni,  
90 horrisonum Latio vicinus nomine dicit,  
91 qui Nessum bibit undosum, Verarimque propinquum  
92 isthoc ante duas messes cum saepe venirem  
93 ignarus nemorum vidi discurrere larvas  
94 saxa per et montes, tamquam nocturna vagantes  
95 terriculamenta, et pueros terrere paventes,  
96 quas lamias ducunt, quibus est exemptile lumen  
97 quas vigiles aiunt extra sua limina lyncas  
98 esse domi talpas, nec quemquam cernere, nec se.

ARG.

99 O Philereme, quis infaustis maledicere larvis,  
100 quis lamias poterit satis exsecrare nocentes ?  
101 Lyncea qui passim circumvertuntque feruntque  
102 lumina, per plateas, per agros, per rura, per urbes,  
103 per fora, per thermas, per denique quicquid ubique est :

104 omnia scrutantur, pensant, rimantur et audent.  
 105 Livor edax animal comitatur, videris, illi  
 106 milvinos oculos emissiciosque putaris.

PHIL.

107 Non tamen urbanas lemures larvasque forenses  
 108 me vidisse puto, verum cum saepe reversus  
 109 ad montem, pecudes inter, sub rupe jacerem,  
 110 obscuram vidi picea fuligine flammam  
 111 surgere, et a summo delapsum vertice sulphur  
 112 saepe levis tuguri tenues incendere culmos.  
 113 Tum vero aerias ingens ploratus ad auras  
 114 tollitur, et miseris ululatibus insonat aer.  
 115 Obstipui, retroque boves a monte coegi ;  
 116 ecce sed amissam quaerens in valle juvencam  
 117 adfuit Heliades, qui mox ubi constitit inquit :  
 118 "Heu, fuge terribiles lucos, loca feta venenis  
 119 Tartareis, nigri, fama est, hic janua Ditis  
 120 panditur, hic furiae tristes Acheronta recludunt,  
 121 coge pecus, ne si virosi graminis herbam  
 122 attigerit, pingui macrum tibi fiat in arvo."  
 123 Haec ubi, quaesitum silvam pecus ivit in altam.

ARG.

124 Nos etiam multos Dites lamiasque per urbem  
 125 vidimus humanas, fracta stipe, mandere carnes.

PHIL.

126 Dum fugio, raptis mecum sine lege modoque  
 127 rebus, in effossum cecidit mihi subula fontem.

ARG.

128 Frigida nox properat, tauros includere pastos  
 129 tempus, et errantes inducere ovilibus agnas.

H. EOBANI HESSI BUCOLICORUM IDYLLION VI.

EPITAPHIUM IOLAE. MELETERUS, DAPHNIS

MEL.

I\_6

v.1 Numquid adhuc ardes formosam Daphni Calypso  
 2 dic, precor ? An dulces liquisti fortiter ignes ?  
 3 Quos tamen ante duas potuisti linquere messes  
 4 si muros hederæ possunt, si flumina pisces.  
 5 Aut qua nam premeris confectus mole laborum  
 6 quidve doles ? Tuus hic vultus lugubria praefert.

## DAPH.

7 O Meletere, nihil turpes in fortia flammae  
 8 pectora juris habent, jamdudum abscessimus istis  
 9 deliramentis puerilibus, et mea tandem  
 10 aetas undecimum postquam bis venit ad annum,  
 11 displicet omnis muliebris, et improbus error.  
 12 Est alius qui corda dolor premit, altaque curis  
 13 pectora corrodit mordacibus, heu, ubi cantus  
 14 festivique jacent calami, nunc omnia maerent  
 15 laeta prius, nunc omnis ager silvaeque comantes  
 16 tristantur, fracto montes plangore resultant.

## MEL.

17 Qui fletus ? Quae fata gemis tam tristia, Daphni,  
 18 dic, precor, interea calidus dum cessat arator,  
 19 et pecus ilicea dum ruminat omne sub umbra.

## DAPH.

20 Flete, meae Musae, tristes lugete, Camenae,  
 21 nobilis ante diem fato concessit Iolas,  
 22 dicite fatales crudelia numina, Parcae  
 23 ausurae violare deos, quid tale coegit  
 24 perpetrare nefas ? Juvenis cum funus adempti  
 25 lanificae sub rupe procul videre sorores  
 26 fleverunt, viresque suas odere, paratae  
 27 fila humili reparare manu, nisi fata negarent  
 28 ulla relabentes animas in corpora reddi.  
 29 Somnus ut exstinctum rapuit Lethaeus Iolam  
 30 ferrea nox omnes visa est descendere in agros,  
 31 et lupus, et miles praedator ovilia lustrans  
 32 debacchatur, agens effuso sanguine praedam ;  
 33 non passim, velut ante, boves per tuta vagantur  
 34 pascua, clauduntur caulae, custode tenentur  
 35 limina, certantes lacerant mapalia venti.  
 36 Cernis ut obscuro turbatus flumine Fulda  
 37 labitur, increpitan saxa indignantia motu.  
 38 Hunc juxta quando licuit consuevit Iolas  
 39 pascere oves, illi quoque cum pastoribus ipsis  
 40 paruit omne nemus, quod vitreus Aedera passim  
 41 Fulda rapax, Rhenusque vident, et caerula Lani  
 42 flumina, Palladium qui praeterlabitur urbem  
 43 et quod navigeri vada mercibus incluta Moeni  
 44 quodque vident usquam loca nota per Hessida terram  
 45 illum omnis novit mundus, nam saepe superbos  
 46 vicerat agresti juvenes certamine, ab illo  
 47 languet Rhenani castrata potentia Nisi.  
 48 Illum omnes timuere ferae, furesque dolosi,  
 49 illius ad vocem Poeni stupuere leones.  
 50 E silvis fugere lupi, nec tempore nostro  
 51 alter erat pastor sublimi major Iola.  
 52 Nunc jacet, heu, tantum decus, et jam fortior aetas  
 53 te tulit, infelix puer, ergone pessima fata  
 54 invidere tibi, jam fortibus utilis annis  
 55 longius, et plures potuisti vivere messes.  
 56 Fleverunt te Naiades, tristesque Napaeae.

57 Et cava flumineo sonuerunt litora planctu  
 58 tam dilectus eras, tam te grex omnis amavit.  
 59 Nunc te defunctum tumulo damus, hic ubi tardis  
 60 flexibus Hessiacos Lanus tuus alluit agros.  
 61 Spargite odoratos, tumulo date, spargite flores,  
 62 narcissos, violas, odoriferos hiacynthos,  
 63 balsama, Coryciumque crocum, murramque comantem  
 64 spargite, et in viridi juxta sic scribite fago :  
 65 "Gloria silvarum situs est hic pastor Iolas  
 66 quo non alter erat felicior omnibus oris."

MEL.

67 Jam nec amore doles pressus, nec mole laborum,  
 68 non aliud quodcumque gemis sed justa doloris  
 69 causa tui est, tali magnus deflendus Iolas  
 70 nempe fuit calamo, non sic exstinctus Iolas  
 71 exstinctus mihi, sed potius superesse videtur.

DAPH.

72 Cum fleret niveis conjunx complexa lacertis  
 73 corpus inane viri, conjunx pulcherrima, dixit  
 74 "Urite subjectum flammis, comitabor Iolam  
 75 mortua ad Elysium, jacet heu jacet ille pudoris  
 76 primus et egregius nostri violator Iolas."  
 77 Sic ait, et nivea rupit de fronte coronam  
 78 illa puellarum pulcherrima ruricularum,  
 79 quam Galatea parens septem compressa trioni  
 80 Oceano peperit, formosior omnibus illa est.

MEL.

81 Dignus erat qui Nympharum frueretur Iolas  
 82 connubio, nunc ille brevi requiescit in urna.  
 83 Illa domo vidua perturbatos Hymenaeos  
 84 plorat, et, heu, niveos laniat formosa capillos,  
 85 digna ducum thalamis, ipso Jove digna marito.

DAPH.

86 Nobis ille tamen moriens duo pignora liquit,  
 87 spem generis, puerumque marem, teneramque puellam.  
 88 Aspice quam patrios referunt ad ovilia vultus  
 89 formosum ille patrem, formosam filia matrem.

MEL.

90 Vivite, et in patriam pueri coalescite sortem,  
 91 tu nobis, tu vive puer clarissime sanguis,  
 92 ultime nate patris, tu magni tuta parentis  
 93 pascua restitues, o misse faventibus astris  
 94 tecum nata salus nostris promittitur agris,  
 95 indolis egregiae, et virtutis certa futurae  
 96 signa in te, vultuque jubes sperare sereno  
 97 optima quaeque puer, nec enim sine numine quodam  
 98 illa nitet facies Phoebeae lampadis instar.  
 99 Claude oculos, quis tam radios ferat ignipotentis ?

100 Sed neque claude, aperi potius, da gaudia rebus,  
 101 protinus effugient fures ab ovilibus omnes,  
 102 raptoresque, lupique truces, et frigidus anguis,  
 103 atque colorati squalentia terga dracones.  
 104 Si quis erit forte in nostra basiliscus arena  
 105 occidet, et parvus sed dente nocentior aspis.  
 106 Omnia securos praestabunt pabula fetus.  
 107 Spargite humum, nymphae, pretiosis floribus, in qua  
 108 presserit ille puer tenerae vestigia plantae.  
 109 Vos quoque, pastores, genialia tecta, periti  
 110 ture vaporifero circumlustrate quotannis ;  
 111 et carmen facite, et laetantes dicite carmen.  
 112 Salve, semidei proles insignis Iolae,  
 113 Nympharum genus, a magno velut aethere missum,  
 114 et nos et pecudes, et rus defende paternum.

DAPH.

115 Ergo beata illa est felici pondere mater,  
 116 quae subjecta videns inter dumeta capellas  
 117 altivagas errare, ab summi culmine montis.  
 118 Tam clarum viridi est enixa sub arbore fetum.

MEL.

119 Felix ille etiam puer est qui talia suxit  
 120 ubera, quae magnis moveant suspiria divis.  
 121 Et nunc Oceano propior sol, plura canemus  
 122 olim cum puerum matremque videbimus ipsam.

#### IDYLLION VII. AMOR PHILOTAE ET NARCISSI.

PHILOTAS, MENALCAS, NARCISSUS.

PHIL.

I\_7 v.1 Quo senior, quo vertis iter ? Quae causa Menalca  
 2 tam procul a propriis te cogit ovilibus, ede ?

MEN.

3 Cernis ab uberibus raptum lactentibus haedum,  
 4 quem porto his umeris venum laturus in urbem,  
 5 exemi modici partem gregis, unde repenso  
 6 commoda pignoribus miseris alimenta reportem.

PHIL.

7 Ah, miserum, si te tam frivola cogit egestas,  
 8 ut nisi de gregibus non sint alimenta Menalcae.

MEN.

9 Unde alias ? Vel quae sit honestior inter agrestes

10 vivendi ratio ? Vel quo tibi cura peculi  
11 de quo vel nequeas, vel nolis esse Philota ?

PHIL.

12 De grege vivo equidem, sed non ita semper egentem  
13 deprendit fortuna, ut opus sit vendere, verum  
14 congero quod totum possit satis esse per annum :  
15 caseolos butyrumque boni duo maxima lactis  
16 commoda, quod nullo deficit mihi tempore, non cum  
17 aut aestas venit, Autumnusve, aut bruma nivalis.

MEN.

18 Vos quibus innumerae tondent virgulta capellae  
19 longaque sectilibus pascunt armenta viretis :  
20 talia forte decent, et talia forte potestis.  
21 Nos inopes pecorumque et multi ruris egeni  
22 quae curis careant omnes vivemus in horas.

PHIL.

23 Quid si forte cibum fallax fortuna negarit ?

MEN.

24 Nos quoque qui steriles pascit pecus omne per agros.

PHIL.

25 Vera quidem, sed magna nimis, vel tale volebam,  
26 quale sonare solent pullatae saepe cathedrae.  
27 Longe alia est ratio, longe majora volebam  
28 dicere, si posito simul hic assederis haedo.

MEN.

29 Ergo quid ambages nectis ? Quid in ista Menalcam  
30 nolentem trahis ? Et coepto deludis inani ?  
31 Quin mihi quod dicturus eras ab origine prima  
32 hinc aperis, cupidumque animi non fallis amicum.

PHIL.

33 Accipe daque fidem, nam te sapientior aetas  
34 induit aspersis albentem tempora canis,  
35 quod loquor haesurum tacito sub corde, nec umquam  
36 venturum patulas populi fallacis ad aures.

MEN.

37 Pone metum, neque dissimula, sed pectore toto  
38 prome animum, feret haec aliquam tibi forte salutem  
39 fabula, namque animo, ne sanum finge, laboras.  
40 Et nisi me fallunt vitae spatia acta prioris,  
41 et tua conveniens ludis juvenilibus aetas,  
42 morbus, quo langues, amor est, hac febre laboras.

PHIL.

43 Quandoquidem sentis, nec me tibi vera fateri  
44 nec pudet his multo pejores edere flammās.

MEN.

45 Ergo cura eadem pastores conficit omnes,  
46 verum age, solifugae postquam successimus umbrae,  
47 quis tandem ignis habet ? Quae te nam cura, Philota ?  
48 Quis te pastor adhuc pejoribus ignibus arsit ?

PHIL.

49 Solus eram baculoque gregem connixus acerno  
50 servabam, viridis pascentem in margine ripae.  
51 Jamque adeo nemus intraram, quod cernis opacis  
52 umbrosum arboribus juxta, dumque omnia visu  
53 perlustro, notique sequor vestigia fontis :  
54 ecce tibi, haud magnum dictu, miserabile visu,  
55 ad fontem longos noster Narcissus amores  
56 deflebat, niveam quibus ille Philantida nuper  
57 fastibus, ardentem misere, despexerit, et nunc  
58 quam male despectos in se converterit ignes.  
59 Dum rogo maeroris causam, nihil ille, sed amens  
60 centenam loquitur, solamque Philantida clamat.  
61 "Hinc mea Callirhoe subiit mihi, me quoque tali  
62 fixit amor jaculo, nec tu me laeta videbis  
63 amplius arguta meditari carmina buxo,  
64 aut teretes calamos, aut molles nectere juncos,  
65 ni detur quod amo, laetam sperare senectam  
66 non erit, insano, satis est, servimus amori."

MEN.

67 Ambo aetate pares pueri studioque canendi,  
68 quo vos fata trahunt ? Quid te, Narcisse, Philantis ?  
69 Quid te, Callirhoe, blando levis ore Philota  
70 mortis ad exitium vivum rapit ? Ergone tandem  
71 una homini totos occludit femina sensus ?

PHIL.

72 Quin potius notum mecum descendis ad amnem,  
73 etiam sol medium caeli transcendit, et axem  
74 fert medio temone, gregem ducemus aquatum.

MEN.

75 Perge, sequar, sitit hic etiam quem ducimus haedum.

PHIL.

76 Ite, meae pecudes, liquidum potabitis amnem,  
77 me coquit interea sitis altera, qualis ab unda  
78 non queat exstingui, si totum Nerea potem.  
79 Eheu, quam fortes urunt mea pectora flammae.



MEN.

80 Siste pedem, nisi me nutantia lumina fallunt,  
81 nec fallunt, sedet ecce sedet Narcissus in umbra  
82 aerae platani noti tibi fontis ad undam :  
83 o salve Narcisse, quid haec tam sola frequentas  
84 avia ? Convictusque fugis commercia nostri ?

NARC.

85 Et tu saepe meos casus miserate, Menalca,  
86 aeternum salve, ante alios mihi care Philota,  
87 quis mihi vos casus ? Vel quis deus obtulit, istis  
88 vallibus erranti, et crudelia fata gementi ?

MEN.

89 Quae nam fata gemis ? Quis te malus abjicit error ?

NARC.

90 Nec patitur meminisse dolor, nec vulnera possunt  
91 haec mea curari, sed novit et ipse Philotas.  
92 Indigno certum finem statuisset dolori.

PHIL

93 Dic tamen o paribus nobiscum exercite curis  
94 fert etiam miseris quaedam solacia luctus  
95 vulnera cognovit jamdudum nostra Menalcas.

NARC.

96 Donec eram felix, nec me formosior alter  
97 pastor erat, nec qui mecum contendere vellet  
98 cantando, mea saepe hilares connubia nymphae  
99 optabant, ego formosas malesanus amantes  
100 sprevi Leucippen, Crocalen, nigramque Melissam,  
101 atque alias, quas una inter formosa Philantis  
102 tota in me, velut in fortem lasciva juvenum  
103 vacca ferebatur, totos insana per agros  
104 errabat, clamans Narcissum, et nomine tantum  
105 quo potuit longum consolabatur amorem.  
106 Non illam duri poterant prohibere parentes,  
107 non commissa gregum custodia, sola per omnes  
108 quin silvas sequeretur, et hac me saepe sub umbra  
109 cum vidisset, ego in nemora et lustra invia fugi,  
110 et, quamvis cuperem, tamen illa ut pejus amaret  
111 frivola crudeli feci praeludia flammae.  
112 Heu, heu, qui nimium formae confidit inani,  
113 et se posse miser numquam non credit amari,  
114 paene sed indigno mulier consumpta furore  
115 semianimis cum se jam desperaret amari,  
116 ad patrias iterum caulas aversa recessit.  
117 Occului tacitum nondum confessus amorem  
118 et tamen illa mihi visa est res dulcis, ut essem  
119 formosus, didici vultum componere, crinem  
120 comere, sed plenum nondum intellexerat ignem

121 mens mea, jamque magis cupiebam semper amare :  
 122 dulce videbatur si quis me pastor amantem  
 123 diceret, interea totum Venus ignea, totum  
 124 exurunt corpus flammae, tum denique vulnus  
 125 fassus opem petii superos ipsamque puellam.  
 126 Heu, heu, quam levibus constantia nulla puellis.  
 127 Interea illa suos in Amyntam transtulit ignes  
 128 illum qui totiens nobis furatus et haedos  
 129 et teretes calamos, timet haec in rura venire.

MEN.

130 Infelix puer, o sortem, Narcisse, dolendam :  
 131 retia quae tendis miser incidis, atque ita forsan  
 132 jusserit alma Venus, fastum quae vindicat omnem ;  
 133 quam velles dominae, liceat, servire puellae.  
 134 Et nunc imperio parere et ferre labores :  
 135 quisquis amat jacet, et presso fert vincula collo.

PHIL.

136 Hoc quoque me docuit, jam non mea credere verum  
 137 Callirhoe, o utinam verum experiatur et ipsa.

NARC.

138 Ipse Palepaphia percussus arundine solus  
 139 per silvas, et rura queror, mea saepe videntes  
 140 vulnera, fleverunt silvestria numina nymphae,  
 141 nymphae Naiades, Dryades, mollesque Napaeae.  
 142 Ut magnos ipsae pecudes videre dolores  
 143 gramina non carpunt, nec dulcia flumina potant.  
 144 Saepius haec mecum tamen : "O formosa Philantis  
 145 quo fugis, exclamo, mea flamma revertere, non est  
 146 quem fugias, miserere, sed impatienter amantis.  
 147 Huc ades, o mea lux, quem tantum nuper amasti  
 148 te vocat ille tuus Narcissus, scilicet illum  
 149 nunc fugis ? An potius miserum spe ludis inani ?"  
 150 Dum queror, impediunt lacrimae, proh lumen et auras  
 151 nil mihi vobiscum, vitae satis ante peractum est.  
 152 Hic ego vos inter placida jam morte quiescam,  
 153 lanigeras pecudes, vos ad mea funera maestae  
 154 nec salices caprae, nec oves captate myricas.  
 155 Vos mea pastores meritae date membra quieti,  
 156 floreque signatam cognomine spargite terram,  
 157 et deflete meos ignes, aevoque futuro  
 158 si quis amator erit male, quod legat addite carmen :  
 159 "Cum miser indigno Narcissus amore periret,  
 160 exemplo ne quis contemnat amare reliquit."

.../...

## IDYLLION VIII.

AD DOCTIS. VIRUM C. MUTIANUM RUFUM C. MUTIANUM RUFUM.

## BEATAE TRANQUILLITATIS ENCOMIUM.

I\_8 v.1 Quam nihil Andino canimus spectabile versu,  
 2 tam primi Latias in Teutona pascua Musas  
 3 ducimus, et veniam praefati sacra subimus  
 4 antra patris Fauni, et magni penetralia Panos.  
 5 O saltem liceat silvas intrare patentes  
 6 juglandes si grande, nuces captare columnas  
 7 non veter, arbusta atque humiles cantare myricas.  
 8 Est animus, non magna sequi, levia ista professo  
 9 ludicra, nunc etiam nostrae sua carmina silvae  
 10 incipient resonare, ausis ignoscite Musae  
 11 Minciades, nec tu, quo se mea rustica tantum  
 12 jactat, Musa, tuo quantum te, Tityre, Varo :  
 13 ne tu difficiles mihi dedignabere montes  
 14 et valles habitare sacras, lucosque silentes,  
 15 Rufe, per Aonios colles, notissime, qui nunc  
 16 Socratico dulcem trutinas examine vitam  
 17 ingredi et mecum silvis assuesce jugosis ;  
 18 en tibi detectum frondet nemus, omnia pleno  
 19 fundit aperta sinu tellus, tibi germinat omnis  
 20 arbor, odoratos nunc primum lilia montes  
 21 incipiunt habitare, novo vernantia luxu ;  
 22 nunc gelidi fontes manant, et rupibus altis  
 23 frigida milleno labuntur flumina lapsu  
 24 per virides ripas, et amoena silentia, postquam  
 25 te nostri accipiunt saltus, fugit omnibus omnis  
 26 graminibus serpens, fragrant suavissima tempe,  
 27 quale apibus dicunt Siculam stipantibus Hyblam.  
 28 Sub pedibus lascivit humus, tua scilicet ipsae  
 29 accipiunt laetis vestigia motibus herbae :  
 30 aspice quam niteat toto formosior anno  
 31 Phoebus, et insolito mundum splendore serenet.  
 32 Hoc erat, hoc adeo nostros quod saepe per agros  
 33 optabam, hoc mecum nemora omnia, et ipsa petebant  
 34 saxa salebrosas subter squalentia rupes.  
 35 Saepe graves pratis dum pasco virentibus agnas,  
 36 quem canerem assiduo resonantem carmine Rufum  
 37 quaerebant socii, cum sic ego forte canebam :  
 38 "Dum nemora et silvae stabunt, dum flumina current,  
 39 Rufe, meis, et si rudibus, dicere camenis.  
 40 Ipsa tuas etiam laudes armenta feraeque  
 41 silvestres, avidique lupi saevique leones,  
 42 tigrides et lynces, et in ipsis partibus ursae  
 43 auribus accipient stupidis, dumque omnis ad auras  
 44 carmina nostra canet pastor, te montibus altis  
 45 aerae rupes, et concava saxa sonabunt.  
 46 O tantum ne turpe feras haec sordida circum  
 47 incolere, et dulcem captare sub arbore somnum  
 48 umbrifera, vivoque sitim restinguere fonte ;  
 49 et cantu mulcere auras, hic subter opacas  
 50 quercus, fagineumque nemus, pinusque decoras

51 et virides alnos, pulchram sine nomine vitam  
 52 ducere, et urbanum poteris vitare tribunal.  
 53 Hic ubi virgineae laurus, et frigida surgit  
 54 graminibus lactuca piis, ubi tonsile buxum  
 55 et nativa humiles texunt topiaria corni.  
 56 Lecta corona tibi est castos quae plurima crines  
 57 contegat, en divae dicunt bona verba Camenae,  
 58 vernantes in flore tegi patiare capillos ;  
 59 quem tibi non ullae Veneres meditantur honorem  
 60 nulla Dryas, neque Naiades, non mollis Oreas,  
 61 nulla tibi assistet Phyllis, non ulla Lycoris :  
 62 nam tibi mollitie nihil est invisius ista.  
 63 Non ita fraxineae invisae serpentibus umbrae,  
 64 non sic agna lupos, non sic fugit aera talpa ;  
 65 ut tu quicquid habet perfectae incommoda vitae,  
 66 quicquid Acidalio generosam caumate mentem  
 67 inficit, exstinguitque animos melioribus aptos.  
 68 Tu fugis ut pulchris aconita latentia gemmis.  
 69 O vitae tranquilla quies et summa beatae !  
 70 Sic mihi praeteritos olim deus exuat annos.  
 71 Talem sera dies videat me, seu mihi longos  
 72 invadeant mea fata dies, seu frigidus annis  
 73 ante diem presso moriatur corpore sanguis,  
 74 non mihi post cineres potioris cura sepulcri :  
 75 dummodo corporea defunctus mole feratur  
 76 spiritus ante Deum, cedat caro putris in escam  
 77 vermibus, aut volucres pascat per inane volantes  
 78 cura eadem : stultus qui foeda cadavera in auro  
 79 collocat, et vanis infundit balsama membris  
 80 demens, et frustra miseros amplectitur artus.  
 81 Qui faciunt simulacra virum, defunctaque servant  
 82 corpora, dii superi quam delirare videntur.  
 83 Ergo vel ignotus moriar, vel si qua poetis  
 84 gloria debetur dulcis post edita vitae  
 85 munera, sub quacumque licet tellure quiescam,  
 86 tu modo seu magno meditaris jubila Christo,  
 87 nocturnis inhians sacris citharamque novenis  
 88 percurris fidibus resonantem carmina regis,  
 89 vatis Jessaei, seu divite bibliotheca  
 90 confusus libros mille inter solis adortum  
 91 leniter afflantem tua pectora suscipis Eurum :  
 92 tu modo, namque olim tibi nostra fidelius ibunt  
 93 carmina liberiusque canam tua nomina, Rufe,  
 94 ad rus et montana veni, majora volebam  
 95 pangere, ni pastorem humilis decuisset arundo,  
 96 et rudis averso subiisset Apolline Faunus.

H. EOBANI HESSI BUCOLICORUM IDYLLION IX.

MELINUS, AEPOLUS.

MEL.

I\_9 v.1 Tertius Oceani jam Lucifer exit ab undis,  
 2 altera nox abiit, postquam mihi perditus istis

3 quaeritur in silvis aries, ubi plurima densent  
 4 umbrosum virgulta nemus, dic, Aepole, numquid  
 5 fors an aberrantem vidisti, nam nihil umquam  
 6 notius hoc uno, niger est, caret aure sinistra,  
 7 cornua paene oculos tangunt redeuntia torvos.

AEP.

8 Ah, pecus infelix, non te tua cornua tutum  
 9 non torvi fecere oculi, Meline fatebor  
 10 omnia vera tibi, vix post jentacula mane  
 11 haec avium dulces dum quaero per avia nidos,  
 12 ecce situ squalens exesae rupis ad antrum  
 13 exceptum pecus ipse lupus jam dente comedit  
 14 sanguineo, frendens in me, nisi forte fuisset  
 15 a cane defensus, mea mordicus ora petiscet,  
 16 ne doleas quod fata jubent, quod ferre necesse est.

MEL.

17 Hei mihi, nunc tandem evenit quod saepe timebam,  
 18 hei miserande aries, quod eras audacior aequo,  
 19 stultitiae meritas persolvis sanguine poenas.  
 20 Inter oves puduit viridi te caespite vesci,  
 21 tu cytisum, tiliisque leves, dulcemque ciperum  
 22 stulte sequebare, et semper mihi solus abibas :  
 23 ergo nunc avidi rodent tua viscera corvi,  
 24 qui nimis est audax saepe infeliciter audet.

AEP.

25 Est, ut ais, pecoris verum obliviscere adempti,  
 26 qua potes hanc alia jacturam sorte repende,  
 27 et mecum viridi laetus succede salicto ;  
 28 hic ubi taurigenae volucres apiaria circum,  
 29 et varios pleno strident examine flores ;  
 30 ecce sed, o nymphae, quanto res digna cachinno  
 31 quam saliunt petulanter oves in tramite plano.

MEL.

32 Quam rudis es, necdum diuturno exercitus usu  
 33 sed quia te natura ovium fugit Aepole dicam :  
 34 vicina ruber est delapsus ab arbore cortex  
 35 causa novi saltus, nam talia cuncta verentur.  
 36 Et neque vere rosas, neque rubra papavera mandunt.

AEP.

37 Tale quid in nostris etiam admiranda capellis  
 38 ridiculum natura dedit, nam vincula cruri  
 39 feceris e scirpo, vel vimine, sive genista,  
 40 sive alio quocumque per omnes claudicat agros :  
 41 quod cum vidisset sceleratus risit Amyntas.

MEL.

42 Hoc leve naturae specimen mirabilis aiunt

43 id grave populeis si sueta canalia virgis  
 44 corticibus demptis spargas, tum frondibus albis  
 45 intentae meditantur oves gliscente colorem  
 46 in coitu niveum, quae tum conceperit albam  
 47 edit ovem, sic se magnus didicisse Philaegon  
 48 dixit, et in parvo monstrabat codice scriptum.

AEP.

49 Sic etiam ex alba niger hircus saepe capella  
 50 diversam generat prolem, variique coloris  
 51 idque ego dum capio teneri incrementa peculi  
 52 non semel expertus longo sum doctus ab usu.  
 53 Verum age confer oves nostris, Meline, capellis.  
 54 Quod prius effectum voluisti, perge fateri.

MEL.

55 Hic neque certandi locus est, nec talia tecum,  
 56 Aepole, contulerim dubiae certamina palmae.  
 57 Esse bonos siquidem pacem decet inter amicos  
 58 ni jucunda magis quam sint mordacia dicta :  
 59 si libet ergo jocos, non seria saeva, canemus.

AEP.

60 Incipe, flammivomus caelo dum Sirius ardet,  
 61 dum juvat umbra pecus, dum flumina grata capellis ;  
 62 hic melius rivi praeterlabentis ad undam  
 63 sub viridi platano in molli residebimus herba,  
 64 incipe, sic faciles habeas, Meline, camenas.

MEL.

65 Caprarum grex atque ovium mihi mixtus amatur,  
 66 sed tamen ante pilos caprarum lana bidentum  
 67 nobilis, et plures accommoda servit ad usus.

AEP.

68 Et mihi sunt ovibus mixtae per pascua caprae :  
 69 grex tamen hirta placet, tantoque est gratior illa,  
 70 quanto est utilius lana lac semper edenti.

MEL.

71 Lana homines vestit, lanam cum divite pauper  
 72 gestat emitque libens, et murice tingit et ostro ;  
 73 frigora propellit, corpus tutatur ab aestu.

AEP.

74 Lac homines nutrit, tanto est nutritio majus  
 75 vestitu quam vita neci felicior atrae,  
 76 caseolos, butyrum lac dat duo maxima dona.

&MEL.

77 Non equidem infitior, sed habent etiam ubera plena  
78 Lactis oves, seroque ad mulctram vespere ductae  
79 omnia distentis implent mulctralia mammis.

AEP.

80 Uno sola die capra plus quam quattuor agnae  
81 lactis agit, pastuque domum compulsa reportat,  
82 bisque omnes una mulgentur luce capellae.

MEL.

83 Ridiculum quod ais, plus tu rideberis ergo ;  
84 perge tamen, faciles etiam risere camenae.

AEP.

85 Capra polos adiit, solo est spectabile cornu  
86 sidus Amaltheum, docto si credis Iarbae,  
87 Juppiter Oleniae suxit deus ubera caprae.

MEL.

88 Lucida Phrixium pecus inter sidera fulget,  
89 cui fulvum rutilo vellus distinguitur auro :  
90 sic ego me puero didici, vix namque recordor.

AEP

91 Nec rurale sonant, nec sunt pastoria quae nunc  
92 verba jocos inter surgunt, vix talia pauci  
93 urbani sapiunt, et nescio quale Lycaeum.

MEL.

94 Vera mones, et nos paremus vera monenti,  
95 istaque deserimus plura et meliora canemus,  
96 crastina Phoebeos ubi lux reparaverit ignes.

H. EOB. HESSI BUCOL. IDYLLION X.

AMOR EURYTI. EURYTUS, THYRSIS.

I\_10 v.1 Tempus erat medio jam sol altissimus aestu  
2 ussit agros pepulitque leves pecus omne sub umbras,  
3 pastores duo conveniunt de montibus, actis  
4 in vallem gregibus, vicini fontis ad undam,  
5 Eurytus et Thyrsis, quorum florentior aevo  
6 Eurytus adstantem sic est affatus amicum :

EUR.

7 Thyrsi, decus nemorum quando mihi proximus annis,  
 8 et forma prior, et me major es arte canendi,  
 9 canta aliquid, longo nostris tua tempore silvis  
 10 fistula conticuit, nec dulces deflet amores,  
 11 nec quibus ante duas formosam Chlorida messes,  
 12 ignibus ardebas contemptae jactat amicae.

THYR.

13 Euryte, nec forma, nec sum tibi proximus annis,  
 14 artis et ingenii si quid mihi favit Apollo,  
 15 hoc ipsi superesse velim castisque camenis,  
 16 non Veneri : satis insanitum est mollibus annis,  
 17 nunc sapere, et meliora sequi provector aetas  
 18 admonet, ipse potes nugis puerilibus istis  
 19 oblectare animum, quando libet et tua nostros  
 20 non ita multo post aetas continget ad annos.

EUR.

21 Usque adeone Venus liquit tua pectora, Thyrsi,  
 22 quae te plus aliis, memini, et pejoribus ussit  
 23 ignibus : o quanti est talis curatio morbi ?

THYR.

24 Ipse mihi medeor, nec pareo talibus ultra  
 25 illecebris, quae sic improvida pectora fallunt,  
 26 ut subjecta solent lentae per stramina flammae  
 27 serpere et arreptis incendia spargere tectis.  
 28 At tu cui teretes calami, cui carmen et aetas  
 29 lude decent annos, et mollia carmina molles.

EUR.

30 Pan faveas, nostroque adsis precor aequus amori  
 31 sic olim tibi dilectam Syringa canemus  
 32 Naiada quam canna texit Venus alma palustri,  
 33 ut nostros etiam nemus omne intellegat ignes.  
 34 En venit, et nobis Canace venit obvia, cernis  
 35 ut niveae molli sinuentur flamine vestes ?  
 36 Ut virga in manibus varias discriminet agnas,  
 37 quas nunc illa domo potum compellit ad undas ?  
 38 O salve facies mihi dilectissima, salve  
 39 Nympharum decus ante omnes formosa puellas,  
 40 jam dudum cupio tecum mihi mutua dentur  
 41 colloquia, heu, quanto miserum me conficis aestu.  
 42 Nulla mihi sine te requies datur, omnia curis  
 43 plena, dies votis totos consumimus istis,  
 44 longa quiescendas turbant insomnia noctes.  
 45 Huc ades, et nostros Canace formosa dolores  
 46 aspice, tum requies nobis erit una sub umbra  
 47 faginea, ad fontem latices ubi dulcia vivi  
 48 murmura per frondesque cient tremulumque susurrant.  
 49 Hic tibi castaneae sumentur et allia mecum,  
 50 et pira quae fortes vicinis montibus Hessi



51 mittunt, et nivei matura coagula lactis.  
 52 Huc ades, o Canace, miseri cape munus amantis  
 53 hunc leporem, turdosque duos, castumque palumbum,  
 54 munera quae lustris tibi sum venatus in altis.  
 55 Uror ut in stipulas ignis projectus agrestes  
 56 sole sub ardenti campum depascit, et omnes  
 57 herbarum sucos, sic me dolor ille fatigat :  
 58 Qui mea nescio qua trajecit corda sagitta.  
 59 O si respiciat Canace mea vulnera sero,  
 60 ut quondam cum prima malum Venus egit in artus,  
 61 dulcisona laetos modularer arundine versus  
 62 inter oves, cantu silvae et nemus omne sonaret,  
 63 heu, crudelis amor quantum mortalia mutas  
 64 pectora, nulla tibi par est sub sole potestas.  
 65 Sic me sic posito vitae melioris honore  
 66 cogis, et ante diem facis hanc languere juventam  
 67 florida ceu subitis flaccescunt arva pruinis.  
 68 Hoc tamen omne tibi patimur sine nomine vulnus.  
 69 O Canace, majora pati tormenta parati  
 70 te propter, tu sola mei medicina furoris  
 71 huc olim properans fido dabis oscula amanti,  
 72 qualia Luna suo quondam dedit Endymioni,  
 73 qualibus Oenone Pariden complexa lacertis  
 74 servantem Phrygiae pecudes sub vallibus Idae ;  
 75 huc olim properans tu nos complexa juvabis,  
 76 flate leves Euri, spira genetive Favoni,  
 77 ferte meam Canacen, ad nos huc ferte puellam.  
 78 Lingua stupet, rubor in vultum concessit anhelus,  
 79 membra tremunt, saliunt praecordia, namque propinquat  
 80 quae mea corda sui clausit sub pectoris antro  
 81 quo fugiam ? Quo non abeam ? Potiusne manebo ?  
 82 An fugiam ? Quid Thyrsi loquar ? Pudor obstat amori.

THYR.

83 Ergo sagittifero dum sic assuescis amori,  
 84 vix tu de gregibus mecum cantare volebas,  
 85 mirabar quid namque modos, et nostra perosus  
 86 carmina deserta solus sub rupe jaceres  
 87 maestior, et solito vultum squalentior usu.  
 88 Scilicet ergo suam Pani Syringa canemus  
 89 Naiada, quam canna texit Venus alma palustri :  
 90 non ita, nos alio juvenes ardore fruemur.  
 91 Quem meus haec olim cecinit per rura Philetas  
 92 exosus Veneremque ipsam natumque potentem,  
 93 stulte, quid instabilis tabes in imagine formae,  
 94 ut rosa mane rubens, quae vespere tacta recumbit,  
 95 quam cito bulla perit, tam flos cadit ille juventae :  
 96 desipit omnis amans, moriturque in corpore vivo.  
 97 Caprarum docuit pastor, sic ille monebat.

EUR.

98 Ut nequit exstingui Nereis fluctibus Aetna,  
 99 sic gravis ille ardor, qui me mihi sustulit, omnes  
 100 contemnit monitus, nescit Venus improba flecti.  
 101 Heu quibus immergor curis, quibus ignibus uror ?

## THYR.

102 Interea Oceano pluvias sol attrahit undas,  
 103 et Lybs et Boreas luctantur et humidus Auster  
 104 tempestas oritur, pastu discedere tempus.

## H. EOB. HES. BUCOL. IDYLLION XI.

## PHILONDAS, CORYDON.

I\_11 v.1 In vallem Corydon et eandem forte Philondas  
 2 compulerant armenta, boves hic, ille capellas :  
 3 ille, procul patriae fugiens incommoda terrae,  
 4 ducebat profugos peregrina in pascua tauros ;  
 5 hic patrios circum saltus, et nota tenebat  
 6 flumina, non pastas aliena fronde capellas.  
 7 Et quia pascentes communia saepe subibant  
 8 prata, brevi coit nova consuetudo, fuitque  
 9 mutua, donec erat studiorum innoxia utrique  
 10 gloria, parque decus, quod ubi decrevit, et auxit  
 11 alterius famam, non aequa mente Philondas  
 12 illa ferens, saxo sic est auditus ab alto.

## PHIL.

13 "Qui silvas et rura colunt, qui culmina et agros  
 14 pastores habitant, qui sunt a flumine Rheno  
 15 ad Scythicum Tanaim, qui sunt vel ab Alpibus usque  
 16 ad mare Baltiacum, qui vel didicere cicutis  
 17 vel quodcumque levi diffundere carmen avena  
 18 multiforum buxum, aut dulcem sufflare monaulon  
 19 pignoribus positis et si pro munere vitae  
 20 certantes, ego tam supero quam cedrus acanthum,  
 21 quam rosa septivagum superat Paestana ligustrum.  
 22 Nam neque praestantes tam barbara rura poetas  
 23 praestiterint, neque in his Musae regionibus ullae  
 24 consideant, ergo nostrates plaudite, quando  
 25 audeat hic nemo mecum contendere pastor."  
 26 Haec ubi personuit scopulo vocalis ab alto  
 27 famae damna ferens non aequa mente Philondas.  
 28 Tum Corydon, nam excitus erat jam voce canentis :

## COR.

29 pulse procul patria nostrum fugitive sub orbem  
 30 pauperie monstrante viam, pannosus et exsul  
 31 venisti, quis nescit in haec tam laeta receptus  
 32 pascua, grex postquam nostris collectior errat  
 33 montibus, et nivei, cessit tibi copia lactis  
 34 postquam vix libros didicisti inflare colurnos  
 35 confusumque brevi murmur blaterare cicuta  
 36 tolleris, et fastu turges immanius ipso  
 37 tamquam nemo tibi par sit, nec se tibi quisquam  
 38 audeat e nostris componere stulte poeta.

39 Qui tua cum nostris deliramenta camenis  
 40 ceu tenebras cum luce, nihil conferre vereris  
 41 hos inter nemorum saltus, haec culmina circum  
 42 lenifluos amnes juxta fontesque beatos  
 43 floribus et multis circumflorentibus herbis.  
 44 Haec propter dumeta canens, incondita jactas  
 45 carmina, quae nemo, te praeter, laudet ametque :  
 46 nemo miretur, nisi qui te laudet ametque.  
 47 Tu tamen illa canens laudas, miraris amasque  
 48 inter tot summa pastores laude canentes,  
 49 ut quae cum volucrum sit despectissima, certet  
 50 vincere cantando morientes noctua cygnos.  
 51 Unave turpe sonans si tentet aedonas omnes  
 52 vincere, et in limo placeat sibi rana palustri.  
 53 Vestras ergo jube Musas gaudere Philonda :  
 54 quod te lucifugum superare in carmine vatem  
 55 nostrates pueri jam primo in pulvere possunt.  
 56 Vade per infaustas iterum in tua pascua rupes  
 57 inter olorinos quid ineptis noctua cantus.

PHIL.

58 Si tibi tam facilis Venus est in carmine, si te  
 59 tam felici anima ridens afflavit Apollo,  
 60 hac mecum Corydon si non requieveris umbra,  
 61 non eris Aoniae quicquam de sorte coronae.

COR.

62 Ergo si tecum requiero, quid inde Philonda.

PHIL.

63 Experiar, quid enim potes improbe, qualia jactes  
 64 carmina, qui tantum potuisti spernere vatem.  
 65 Huc igitur concede, tenent loca tuta capellae  
 66 grataque jam saturae subeunt umbracula vaccae  
 67 certemus, causam certaminis ipse dedisti :  
 68 non tibi cum puero certandum impubere, verum  
 69 provida cui molles aetas jam finiat annos,  
 70 cui nativa genas jam vestiat umbra viriles  
 71 nec facile hanc nobis barbam attrectaveris, audax  
 72 sis licet, et nulli pastorum robore cedas.

COR.

73 Est aliquid magno barbam attrectare prophetae,  
 74 dicere sed volui, lapsa est mihi lingua, poetae.

PHIL.

75 Errat sponte sua quotiens vult improba lingua.  
 76 Non sum adeo ignarus, tibi scommate rideor isto.

COR.

77 Quis ridere queat rugosi tubera nasi  
 78 labraque continuo scabros nudantia dentes :

79 sic fugat intrantes, canis hic, sata proxima tauros.

PHIL.

80 Verba probant animum, nisi vanus et improbus esses  
81 crimina difficilis naturae nulla notares :  
82 non facies hominem, sed mens formosa venustat.

COR.

83 Invidia est facie quae te facit esse canina  
84 lumina nempe in me torques obliqua Philonda,  
85 ut cum Zelotypus rivalem taurus abhorret  
86 indicat iram oculis et plagam fronte minatur.

PHIL.

87 Quis tam mordaces ferat aequa mente cavillos ?

COR.

88 Omnia fert sapiens, nisi stultus et inscius esses  
89 ridentem simili posses ridere cavillo :  
90 allatrata canis rellatrat, morsa remordet.

PHIL.

91 Scimus, et hoc versu non multum distat ab isto,  
92 concava carminibus vallis percussa remugit.

COR.

93 Verum nemo negat, sub idem sed consonat illud,  
94 omnia procerae respondent jubila silvae.

PHIL.

95 Liniger et sacra dum clamat in aede sacerdos,  
96 sub tota variae resonant testudine voces.

COR.

97 Garrula limosa dum rana palude coaxat,  
98 vociferae magnis resonant clangoribus undae.

PHIL.

99 Si bona cantaris reddunt bona carmina silvae,  
100 si mala per valles cantes, mala redditur Echo.

COR.

101 Verum, qui bonus est loquitur bene, ni malus esses  
102 non velles conferre bonis mala carmina, nec te,  
103 esto etiam magnum, praeferres omnibus unum.

PHIL.

104 Si bonus es fronti testem praescribe tabellam,  
105 ut qui te videat qui sis cognoscere possit.

COR.

106 Mille trahit secum recti mens conscia testes  
107 si nescis, titulo virtus non indiget ullo.

PHIL.

108 Hora fugit cupidae nectis ludibria menti  
109 callidus, et multo praecludis seria ludo.  
110 Coepta sequi decuit, nihil hac ambage movemur :  
111 si bonus es, si te verus perflavit Apollo,  
112 profer inaudaces pulchra in certamina Musas.

COR.

113 Ut majora bonam redimat per vulnera famam  
114 saucius instaurat, quam liquit, athleta palaestram  
115 victus es ; interea, ne plus vincare, quiesce.

PHIL.

116 Desinet ante manu plenas mulgere capellas  
117 caseolos pastor venum laturus in urbem.  
118 Dulcia melles apes fugient lita, salsa capellae.  
119 Quam tibi tantillo tradam certamine palmam  
120 quod neque luctator salius, pugilve cruentus,  
121 sed pulchro faciles claudent examine Musae.

COR.

122 Nomina quis docuit nostrum tam magna Philondam ?

PHIL.

123 Cum mater mea me primum duxisset in urbem,  
124 vidi luctantes, saltantes, belligerantes,  
125 currentes, discum torquentes, tempore ab illo  
126 nemo me saltu toto est praestantior agro.

COR.

127 Pastorem curare greges, armenta tueri  
128 arma palaestriten, nautam tractare rudentes,  
129 sutorem crepidas, sua quemque agere otia oportet.  
130 Florigeros, i perge, tuum pecus intrat in hortos :  
131 i revoca, dominus, non est puer, illius horti  
132 incautum occidet, si venerit ipse, juvenicum.

PHIL.

133 Taurus adest vicina boves viridaria pascunt.  
134 Si vir es, et duris animum qui obsistere rebus  
135 possit habes, versu mecum certabis agresti.

COR.

136 Qui tecum certare volet, quo teste Philonda.

PHIL.

137 Debita iudicio stabit victoria recto,  
138 o Corydon, quia teste opus est et iudice Phoebos.

COR.

139 Saepe solet vinci temere qui provocat hostem,  
140 iusta lacescunt semper victoria cessit.  
141 Ut lupus imbellem timet insatiabilis agnum,  
142 ut leporem canis, ut captum Jovis armiger anguem,  
143 teque tuasque minas metuo, sed amice monendus  
144 quando immane tumes, quid si te ruperis, olim  
145 rupta perit dum rana bovi par esse laborat.  
146 Et nunc Hadriacae dum sufflant viscera ranae  
147 et sinuosa vago distendunt brachia ponto  
148 non contenta undis animalia frivola, verum  
149 dum terras habitant, lauretaque proxima foedant,  
150 reginaeque avium praecelsa cubilia nidos  
151 insiluisse parant, divis factura pudorem,  
152 si se dejiciant caelo, tum Juppiter auctor  
153 fulminis emisit volucres sua tela ferentes,  
154 quae rostris feriant, et curvis unguibus ipsas  
155 abreptas pelago referant, undisque reponant.  
156 Grandia mox aquilae vibrantes fulmina, ranas  
157 quas non omne prius cepit mare, rursus in unam  
158 antiquamque coegerunt remeare paludem :  
159 nunc miserae solitis ranae pascuntur in undis.  
160 Turgida flaccescunt, nunc pingua viscera marcent,  
161 ut breviter dicam, quando voluere gigantes  
162 esse breves ranae coeperunt esse cicadae.  
163 Discite, pastores, menti dare frena superbae :  
164 altius erectum gravius cadit, omne superbum  
165 invisum superis, pietas gratissima caelo  
166 aspicias annosas convelli turbine pinus,  
167 flexilis ut nullos ventos horrescat arundo.  
168 Fulmina non humiles tangunt crepitantia valles :  
169 semper summa petunt, et caelo proxima turbant.  
170 Te quoque ne supra mortalem efferre labores  
171 ne grave post tristem doleas cecidisse ruinam.  
172 Si bonus es patiari parem, tam nemo beatus  
173 quem nemo aequiparet, non dat Deus omnia soli :  
174 Corde sit ista tibi sententia fixa sub imo.

PHIL.

175 Saepe sub immundo lucentes pulvere gemmae,  
176 saepe latet fulvum duris sub cotibus aurum.  
177 Nunc primum experior quales haec rura poetas  
178 extulerint, quales habitent per inhospita Musae  
179 avia, ab his certe non est aversus Apollo  
180 vepribus, huc etiam divae venere sorores,  
181 Nympharum dominae Charites, quis credere possit ?  
182 Sidera cuncta prius caelo casura putabam :  
183 Nerea passurum flammam, quam talia possent

184 carmina cantari vestris, dii qualia, silvis.  
 185 Invideo Musas vobis o rura Latinas  
 186 barbara, jam nullo tecum contendere vellem  
 187 carmine, sic iterum patrios inglorius agros  
 188 aspiciam : ite mei, mecum fugite, ite juvenci ;  
 189 non libate undas, non carpite gramina, donec  
 190 o dulces mecum patriae veniatis ad agros.  
 191 Barbara rura pares non possum ferre, valete.

COR.

192 Jam poteris tumidas imitari livide ranas,  
 193 edite ranarum de semine, vade per aestum,  
 194 per juga, per valles, per mille pericula solus.  
 195 Obvia nuda silex obducat pascua, saevus  
 196 in media vicina siti sol flumina siccet.  
 197 Saeviat omne tibi stellati numen Olympi :  
 198 ut causa inideas nobis meliore Latinas  
 199 Pieridas, i bardiaco signande cucullo.

H. EOB. HES. BUCOL. IDYLLION XII.

AGAVUS. POLYPHEMUS. HELIADES.

AGA.

I\_12 v.1 Surgit ab Oceano tenebris aurora fugatis  
 2 mane fit, et pulsa reserantur pascua nocte,  
 3 omne pecus passim patulis immittitur arvis  
 4 et matutinae cantant ad mulctra puellae.  
 5 Solus adhuc dulci stertis, Polypheme, sub antro,  
 6 ut somnolenti glires, vitulique marini.  
 7 Non tibi mille avium voces potuere soporem  
 8 tam longum excutere, aut durorum ruricularum,  
 9 sed vigila jam sol exstat plus quattuor ulnis  
 10 altus ab Oceano, et terras supereminet omnes,  
 11 et vacuae clausis balant in ovilibus agnae.

POLY.

12 Improbe, quam dulci somno me excludis, Agave.  
 13 Non hoc me levius memini dormire bimestri ;  
 14 sed tamen, heu, miserae pecudes, jam montibus altis  
 15 ut video, sparsum jubar omnem illuminat orbem.  
 16 Nulla tamen nostrum lucis pars venit ad antrum :  
 17 tam clauso posthac nolim dormire cubili.

AGA.

18 Ut primum radiis Phoebus patefecerit orbem  
 19 evigilo, et plumis caput exsero dulcibus, ergo  
 20 lanigeris ovibus campos, dumeta capellis,  
 21 orto sole, damus, gaudent in rore juvenci.

POLY.

22 Plenus haec alio repetemus tempore, quando  
 23 nunc animum potiora movent, res digna relatu  
 24 quae mihi turbarint exactam insomnia noctem.  
 25 Dii superi, quam certa fides, oracula dicas,  
 26 sic viva praesens elusit imagine Morpheus.

AGA.

27 Dic igitur, dic formiferam Polypheme quietem  
 28 quas facies, quae mira novis simulacra figuris  
 29 videris, interea pecus haec viridaria circum  
 30 pascetur, decimam dum sol ascendat in horam.  
 31 Et nos hanc subter corulum recubabimus, unde  
 32 possimus, velut e specula, pecus omne videre.

POLY.

33 Pascite gramen, oves, salices nudate, capellae,  
 34 donec monstriferae referantur somnia noctis.  
 35 Tempus erat, sacros nox caeca reduxerat ignes,  
 36 quo gravidos jam summa quies obrepat in artus,  
 37 cum silvae pecudesque tacent pictaeque volucres  
 38 totaque Tartareo circumdata numine tellus  
 39 in requiem conversa silet, me somnus habebat  
 40 altior, et clauso recubabam solus in antro.  
 41 Propter aquas super herbosis errare videbar  
 42 aggeribus frondesque manu resecaere capellis  
 43 laetus, et arguta modulari dulcia canna  
 44 carmina, dum calidi caelo fremit ira leonis,  
 45 cum mihi, nescio quo, succenso pectus amore  
 46 Musarum Phoeboque sacrae Permessidos undae  
 47 culmine ab aereo, summoque a vertice Musae  
 48 desuper ostentant lauri de fronde coronam.  
 49 Conspicuum, ductrixque chori regina verendi  
 50 tale fere summa cecinit mihi carmen ab arce :  
 51 "Qui nunc graminea pecudes in valle coerces  
 52 digne ovium custos, his digne virentibus arvis  
 53 quae rigat allabens Hierae vicinior Unster,  
 54 huc propera servata tuae fer praemia fronti.  
 55 Cinge comas hedera viridi, tege tempora bacca,  
 56 en ultro porrecta tibi, Polypheme, corona est,  
 57 accipe cum dixisset ego in sublime ferebar  
 58 vi rapida, solitoque magis velocior, ac si  
 59 umbra levis, vel pluma forem, perniciosior Euro."  
 60 Jamque adeo prope limen eram venerabilis antri,  
 61 unde prius nostras pervenit carmen ad aures,  
 62 cum mihi forte venit cursu Melisaeus anhelo  
 63 obvius, et multis circumvenientibus ipsum :  
 64 qui comitabantur, passis mea colla lacertis  
 65 complexus, quo dixit : "Abis, juvenilibus ergo  
 66 frena cupidinibus non ponis ? Et ista secutus  
 67 mollia Musarum ludibria, quaeris honorem  
 68 qui tibi praeripiat sero majora volenti  
 69 praemia, namque leves pueri florentibus annis,  
 70 quando coronatae coepere insignia frontis  
 71 despiciunt, quicumque canunt sine fronde, poetas,



72 tamquam donatae faciant bona carmina lauri  
 73 et pecus, et silvas, et oves, et ovilia damnant ;  
 74 laudantur, celebrantur, et omnia scire putantur  
 75 cum pulchro faciles vernant in flore capilli,  
 76 in sublime tument, et caelum vertice pulsant  
 77 non inter pueros, non amplius inter agrestes  
 78 versantur, quaerunt urbes, primatibus haerent,  
 79 praeclaris inhiant titulis, seque omnibus ipsos  
 80 cum jam praetulerint pudor est descendere, et inter  
 81 pastores versari, et famam ambire minorem,  
 82 pascere oves iterum, dominisque subesse recusant.  
 83 Ferre jugum grave, servitio sibi quaerere victum.  
 84 Aut ubi damnosae confisi munere lauri,  
 85 (ut solet istorum longe pars maxima) nullis  
 86 artibus instructi melioribus, omnia solo  
 87 Musarum sterili strepitu fora, et omnia complent  
 88 atria praeter aquas Heliconis nulla loquuntur  
 89 commoda, et indoctis tumefacti pectora nugis,  
 90 pauperie extremam misera clausere senectam.  
 91 Ergo, age, siste gradum, juvenili obstare furori  
 92 est opus, et melius vitam instituisse futuram.  
 93 Nos te Palladio sudantem in pulvere, totis  
 94 viribus invictas verae virtutis ad arces  
 95 ducemus, pinguique caput redimemus oliva  
 96 quam complexa pia defendat populus umbra.  
 97 Fortis ut Herculeos, possis aequare labores,  
 98 sub doctis pastoribus, haec tum prima probatae  
 99 vitae signa refert, et libertatis honorem.  
 100 Hanc superimpositae lauri meliore virescent  
 101 germine, tantum effatus erat, cum tu mihi somnum  
 102 excutis importunus, agens me verberare virga :  
 103 haec sunt per longam quae vidi insomnia noctem.

AGA.

104 Mira refers, et quae videantur claudere quaedam,  
 105 quae non vulgaris doceat mysteria pastor.  
 106 Ecce sed Aonia redimitus tempora lauro  
 107 advenit Heliades, tibi quid, Polypheme, videtur  
 108 numquid Apolliniae quota pars erat iste coronae ?

HEL.

109 Salvete aeternum socii festivaque mecum  
 110 gaudia laetitiamque novam celebrate faventes,  
 111 nunc calamos inflate leves, dum rura poetam  
 112 vestra novum meruere, sonent nemora omnia cantu.

POLY.

113 Quis te, digne puer, tanto dignatus honore  
 114 extulit, et sacra cinxit tibi fronde capillos.  
 115 Dic age, dic, aliquis superumne ? An pastor agrestis ?

HEL.

116 Dum lustra amissum quaero per inhospita taurum  
 117 monte sub obscuro, ramis ubi plurima sacros

118 arbor obumbrat aquas, raptum super ardua montis  
 119 divae Pierides vatem fecere, quod olim  
 120 contigit Ascraeis pascenti in vallibus agnas  
 121 vidi praesentes afflatus numine Musas.

AGA.

122 Praesentem vidisse puto te daemona, namque  
 123 quid sunt Pierides nisi blanda insomnia Musae ?

POLY.

124 Longa deas olim commenta est fabula Musas  
 125 non frustra tamen, et ratio est qua dicere possis  
 126 vatibus inspirare suis sacra carmina Musas.  
 127 Verum praesentis non est res ista negoti.

HEL.

128 Numquid ad hanc etiam aspiras, Polypheme, coronam ?

POLY.

129 Nescio, sed tamen his alias de rebus agemus  
 130 fuscina non facit unca coquum, monachumve cucullus,  
 131 nec laurus vatem, sua quemque professio monstrat.

AGA.

132 Sit satis haec vestrum, me iudice, praestat uterque ;  
 133 sed tamen esse bonum, res est divina, poetam  
 134 atque adeo nostris non enarrabile pagis :  
 135 ite, valetate, suas jam pascite quisque capellas.

HELIUS EOBANUS LECTORI SALUTEM.

I\_13 v.1 Hactenus agresti juvenilia carmina plectro  
 2 pinximus, et silvas quae decuisse queant ;  
 3 quae quicumque leges nec passim lecta probabis,  
 4 aetati veniam, quam decet, esse sine.  
 5 Rustica nam primum quo tempore carmina lusi,  
 6 vix ierant vitae bis duo lustra meae.  
 7 Quae nunc his adjecta vides, ea senior aetas  
 8 protulit octavae proxima Olympiadi.  
 9 Quae nisi commendant tibi se satis ipsa, putato  
 10 talia quaeve premas carmina, quaeve legas.  
 11 At tu qui juvenem nostri studiose probabas,  
 12 spero equidem melius posse probare virum.  
 13 Quod si temporibus non hoc satis adsequor istis,  
 14 fiet posteritas aequior ipsa mihi.  
 Noribergae M.D.XXVII. Mense Augusto

## IDYLLIA QUINQUE POSTERIORI EDITIONE ADJECTA.

## ENCOMION ILLUSTRIS ET MAGNANIMI HEROIS PHILIPPI HESSORUM PRINCIPIS.

I\_14A v.1 Mintiades Musae vestri mihi fontis ab ortu  
 2 in paulo majora novas date carmina vires,  
 3 si vestrum decuit teneras sprevisse Myricas  
 4 Tityron, et cecinisse suas in Consule silvas,  
 5 me quoque per nostros vix jam silvestria saltus  
 6 digna sed urbanae deceat deducere plebi  
 7 carmina, sic animo calor incidit, hic ubi pulchras  
 8 Cassellas pulchro celer influit agmine Fulda ;  
 9 quem nunc ille suis Princeps animosior annis  
 10 accolit, et patria stabilit virtute Philippus  
 11 regna, per et Rheni, per et ostia nota Visurgis,  
 12 tam late Hessiaci sunt brachia tensa Leonis.  
 13 Tu nunc sive paras lectas in bella cohortes,  
 14 quod nolim, quod olivifera tua dignior aetas  
 15 pace fuit, seu compositis te libera rebus  
 16 otia suscipiunt, istis abscede parumper  
 17 consiliis, et ad has, tantum non ludicra, nugas  
 18 ingentem demitte animum, curisque resolve.  
 19 Magna patris magni suboles, generose Philippe,  
 20 non indigna leges te carmina, ni mea forsitan  
 21 sordeat, et nullum mereatur Musa favorem ;  
 22 sed neque sordeat inculto quia rustica vultu  
 23 audeat ex ipsis prodire in moenia silvis :  
 24 audiit ipse suas cantantem saepe capellas  
 25 Tityron, et Latiam produxit Caesar in aulam ;  
 26 audiit et tenuem Siculi pastoris avenam  
 27 ipse tulitque suas Ptolemaeus dicere laudes ;  
 28 te quoque ne pudeat, juvenum fortissime, versu  
 29 cantari tenero, donec te serior aetas  
 30 praeclaris auctum meritis in carmina mittat  
 31 heroa resonanda tuba, nunc mollibus annis  
 32 sic tibi, sic patriae decuit praeludere famae.  
 33 His et acerba tui deflevimus ante parentis  
 34 funera, ut exstinctum falso sub nomine Iolam  
 35 diximus, et patria solum te morte relictum  
 36 spem generis gentisque tuae, sed et ista per omnes  
 37 jam dudum vulgata manus trivere legentum.  
 38 Haec nunc adjicimus, postquam te quattuor actis  
 39 lustris, quinta videt crescentis olympias aevi  
 40 connubiis auctum regalibus, inde futurum  
 41 fata favere velint, te digna prole parentem.  
 42 O felix aetate bona, quem cuncta benigno  
 43 sidera prospiciunt vultu, modo pacis amorem  
 44 Dii faveant, modo non iterum te abjecta reponat  
 45 justus in arma furor, satis est juvenilibus annis  
 46 spectatum, quam consiliis quam pectore praestes,  
 47 quantus in arma rvas, quanta te mole ruentem  
 48 senserit ille tui nuper ferus accola Rheni,  
 49 ille tui populator agri, qui jura fidemque  
 50 nullius erubuit, donec modo vindice poenas  
 51 sanguine persolvit proprio, praedamque coactam  
 52 exuit, et Stygias abiit non solus ad umbras.  
 53 Sensit et ille tui pars sanguinis, inclutus armis

54 et florens opibus, quem Wirtemberga receptum  
55 gaudet habere domus patrem, te vindice tanto  
56 quantus in arma alius quisquam venisse putatur.  
57 Magna Teutonidos bello regionis in ora  
58 sensit et Arctoi reparata potentia Dani  
59 consiliis, dux magne, tuis, te Saxonis ora  
60 fraternis, duce, paene armis ruitura quievit.  
61 Sensit et ipse iterum sedes cui nuper avitas  
62 reddideras, aequis placatus legibus Ulmae.  
63 Salve igitur proavis a Regibus orte Philippe,  
64 qui reges in regna locas, qui mutua pacis  
65 foedera concilias, qui tam bella horrida tollis ;  
66 quam potes aut inferre, aut vincere, si tibi quisquam  
67 inferat, hanc subiti Thuringa per arva tumultus  
68 virtutem sensere tuam, sed ne omnia dicam,  
69 multi alii sensere, sed haec nec pagina tantis  
70 molibus est oneranda, nec audent talia Musae  
71 silvicolae, quamvis paulo majora professae.  
72 Ergo erit illa dies qua te, quemcumque per orbem  
73 me superesse volent superi, majore camena  
74 et tua facta canam, nec enim tibi pauca supersunt  
75 facta gerenda, ipsos divum aequatura triumphos,  
76 qui postquam vix jam juvenis tam multa paterno  
77 adjicis imperio, qualem ventura videbunt  
78 saecula ? Digne tuis annis, dignissime longa  
79 annorum serie transcendere Nestoris aevum.  
80 Tu modo, tu totis amplectere viribus istas  
81 virtutes quae te magnis heroibus aequent ;  
82 atque adeo nullam primis patiantur ab annis  
83 deperiisse tui partem, nec laudis egenum  
84 esse sinent, verum supra convexa locabunt  
85 astra poli, terrae tractus tua fama per omnes  
86 vivet inexstinctumque manebit in omnia nomen  
87 saecula, nam pereunt quaecumque potentia mundus  
88 gaudia dives habet, semper manet incluta virtus,  
89 gestarumque insignis honos, et gloria rerum,  
90 praecipue si facta suis illustra vates  
91 carminibus celebrent, lucemque informibus addant :  
92 hi faciunt ut vivat opus quodcumque per orbem  
93 aut laudem meruit, famave laborat iniqua.  
94 Sic ferus Aeacides, sic aerumnosus Ulysses.  
95 Sic pius Aeneas, sic Amphitryone creatus  
96 sic Thebae, sic Troja manent, licet hauserit illas  
97 jamdudum, in cineremque redegerit hosticus ignis.  
98 Quid reges Macedum ? Quid rerum culmina Roma ?  
99 Quid gentes alias referam ? Si rebus agendum  
100 exemplisque fuit, quo rustica verba ? Quid autem  
101 pastorum oblitus reges meditaris Apollo ?  
102 Talia conanti decuit te protinus aurem  
103 vellere, et admonuisse ovium, non grandia Musae  
104 facta canunt humiles, nec templa sed arva colentes,  
105 ergo age magnanimi Guilielmi digna propago,  
106 haec quoque pulchra tuis virtutibus adde, Philippe,  
107 ut dum digna facis Muis, et vindice Phoebus,  
108 has illumque colas, et ames utrumque colentes.  
109 Sic mihi dignus eris, quem Musa et Phoebus ab omni  
110 vindicet interitu, famaue loquacibus annis  
111 inserat, aeternoque locet tua nomina cedro ;

112 sed facis, et te sponte tua melioribus offers  
 113 ingeniis, nec enim tam nobilis indole laeta,  
 114 spiritus ille in te quicquam a virtute paterna  
 115 degenerare potest, nec honestae laudis amorem  
 116 ponere, perge igitur dignum te laude fateri,  
 117 invenies qui laude vehant super astra, tuumque  
 118 et genus illustrent, et Martia facta loquantur.  
 119 Nec tibi quaerendi per regna aliena Marones,  
 120 grande sonaturi, qui te felicibus aequent  
 121 semideis, aliquos tibi dant tua regna poetas :  
 122 si non Virgilios, quales tamen Hestia terras  
 123 inter virginibus plenas non ultima Musis  
 124 ferre potest, tu perge via, nec desere coepta  
 125 quod facis, et tanti mensuram nominis imple.

#### H. EOBANI HESSI IDYLLION XIV.

AD DOCTISS. VIRUM PHILIPPUM MELANTHONEM,  
DE CONTEMPTU STUDIORUM NOSTRI TEMPORIS.

I\_14B v.1 Musarum Phoebique potens et amice Melanthon,  
 2 cui mea praecipuam debent Idyllia famam,  
 3 dic age quae ratio tristes hoc tempore Musas  
 4 opprimit, et studiis adimit, quem debet, honorem ?  
 5 An quia bellipotens circumsonat undique Mavors  
 6 funestisque replet confusum cladibus orbem ?  
 7 An quia nulla datur librorum copia, et omnes  
 8 ditia praecipuas includunt scrinia chartas ?  
 9 Haud quaquam, nec enim quantumvis saeviat armis  
 10 orbis, et insano concurrant regna tumultu,  
 11 illa bonis umquam studiis infligere clades  
 12 vulnera tanta potest, quantis nunc illa laborant,  
 13 quin facile emergant iterum, pressaeque resurgant  
 14 Pierides, referantque caput, lucemque revisant,  
 15 nam neque scripta alio captiva feruntur, ut olim  
 16 barbara cum Latium saevirent arma per orbem.  
 17 Nec, quamvis diffusa per omnes bibliothecas,  
 18 hostica multiplices pascant incendia chartas.  
 19 Vel minimum nocuisse queant, tot ubique premendi  
 20 arte, superstitionibus qua si prior usa fuisset,  
 21 nostra etiam libris frueretur pluribus aetas  
 22 quos male nunc petimus votoque optamus inani.  
 23 Nunc vero postquam quae de tot milibus exstant  
 24 copia prostituit, vilescunt optima, sicut  
 25 semper abundantes pariunt fastidia mensae.  
 26 Praecipue postquam quo sunt pejora, favorem  
 27 majorem invenere, nec utile creditur esse  
 28 quicquid praecipuum est, et eo contemptior omnis  
 29 Musarum chorus, et linguarum gloria, postquam  
 30 omnia vulgares implerunt scrinia chartae  
 31 et, nisi, scripta fere, vernacula, nulla leguntur.  
 32 Proh superi, potuitne tibi, Germania, majus  
 33 dedecus inferri ? Potuitne atrocior hostis  
 34 grassari, finesque tuos incurrere ? Et ultra  
 35 perdere ? Cum satis hac infelix perdita clade

36 concideris ? Neque tu credis nunc vera monenti.  
 37 Tempus erit quo stultitiae te ignobilis hujus  
 38 paeniteat pudeatque sed hoc, ut cetera sero  
 39 agnosces, cum jam tua frivola facta dolebis.  
 40 Quam velles habuisse animum nullius egentem  
 41 lucis, ubi in tenebris mersam te stulta videbis.  
 42 Sed mihi nec ratio fuit istius ulla querelae  
 43 suscepta, et frustra nebulas contundere plagis.  
 44 At jacet interea frigetque investis Apollo,  
 45 longaque proscriptae peragunt jejunia Musae,  
 46 quae ratio, quae causa subest ? Age, docte Melanchthon,  
 47 expediam, propiusque sequar vestigia tanti  
 48 erroris, quo non fuit umquam foedior ullus  
 49 quam fuerat melius, vel non movisse profano,  
 50 bella sophistarum populo, vel mota sub aequa  
 51 composuisse bonaque futura in foedera pace,  
 52 arbitrio victoris, ut in sua barbara victis  
 53 regna relegatis, studiorum victor in arce,  
 54 regnaret populus, sicut jam coeperat omni  
 55 condicione, sed in partes ubi turba recepta est.  
 56 Nil praeter patrium sapiens, atque istius experts  
 57 militiae, confusa retro victoria cessit.  
 58 Amissumque decus, partum prius hoste subacto  
 59 ignavi siquidem cum vincere posse docentur,  
 60 ipsos victores etiam contemnere discunt.  
 61 Nos tamen obscuris positis manifesta loquamur :  
 62 quis nescit patribus nostris quam nulla bonorum  
 63 constiterit ratio studiorum, vilibus autem  
 64 omnia plena scholis, ignobilis anxia vitae,  
 65 tempora perdiderint juvenumque senumque nec ulli  
 66 e nostris curae fuerit meliora sequendi,  
 67 verum eadem stabili longo jam tempore ab usu  
 68 pestis ut invaluit, sic nuper decidit omni  
 69 victa modo, nisi nos uti victricibus armis,  
 70 non voluissemus. Nam sic rediere Latinae,  
 71 et Graiae splendore novo sua tempora Musae,  
 72 lustrantes, ut jam doctas spes esset Athenas :  
 73 huc migraturas, et magnae nomina Romae  
 74 Virgiliosque viderentur, magnosque daturae  
 75 Maeonidas, Demosthenas, et claros Ciceronas.  
 76 Jamque fere toto fatis oriente relicto ;  
 77 venit ad occiduas studiorum gloria partes,  
 78 bellipotens ut non tantum Germania, verum et  
 79 Gallia et occiduo summota Britannia ponto.  
 80 Et nostrum quaecumque habitat gens sparsa per aequor  
 81 Barbariem exuerent, et cultae munera linguae  
 82 certatim peterent et laetarentur adeptis,  
 83 cum subito quo non alius vel inertior hostis,  
 84 vel crudelior emersit, Musisque renatis  
 85 eripuit redeuntem animam retroque fugavit,  
 86 nuper inaudaces turba indoctissima bardi,  
 87 audaces vero postquam nihil esse laborem  
 88 in studiis insumere opus, frustra per ipsas  
 89 linguarum ambages duci juvenesque senesque.  
 90 Res sacras per scripta dari vernacula vulgo  
 91 interea vanum ac fallax opus esse scholarum,  
 92 persuasere animis rudibus, tum denique fastu  
 93 intumuisse novo videas, dum coepta sequuntur,

94 et cursu facili ex animo sententia cedit,  
 95 protinus immodicis resonant clamoribus omnes,  
 96 per nunc invidiae famulantia templa cathedrae  
 97 parcite deceptae per tot jam saecula mentes  
 98 perdere communis dulcissima pignora lecti  
 99 artibus insanis, et amara sorde scholarum,  
 100 quandoquidem neque proficiunt, neque lucra reportant  
 101 ulla, sibi quibus aut vobis succurrere possint,  
 102 si sic res ferat, ac ut jam lucrentur, et ipsos  
 103 Persarum reges gazis immanibus aequent ;  
 104 praecipitant animas et in infima tartara mergunt  
 105 quae neque divitiis, neque majestate, nec ulla  
 106 quantumvis magna poterant mercede rependi.  
 107 Ut multum sapiant omnis sapientia mundi  
 108 exosa est superis, vanas deus imputat artes,  
 109 ingratis, et se contemni dedignatur.  
 110 Quo neque simplicius quicquam nec amantius usquam  
 111 purae rusticitatis, ut exemplo ipse reliquit,  
 112 qui tales sibi tamque rudes elegit amicos.  
 113 Quare agite, o animae ludibria plurima passae,  
 114 talibus artificum nugis, vos, vestra vorantum  
 115 commoda, deceptasque aures praeccludere tandem  
 116 discite, quin potius vestros si forsam amatis  
 117 et natos natasque manu sibi quaerere victum  
 118 assuescant facite, et connubia mutua discant.  
 119 Haec Deus instituit, super haec quae sunt, hominum sunt  
 120 instrumenta, doli, fraudes, artesque malorum.  
 121 Haec et plura solent isti, per rura, per urbes,  
 122 per fora, per delubra, quibus quia plurima falsis  
 123 vera ferunt, interque serunt, multo ante paratam  
 124 invenere fidem, miserae nam talia plebi  
 125 persuasisse adeo facile est, de qualibus ipsi  
 126 ingenuit natura odium, sed prava et aberrans.  
 127 Namque nec est studiis major nec iniquior hostis,  
 128 quam qui vel nequii, vel discere noluit artes,  
 129 ingenuis tantum permissas mentibus olim,  
 130 non cuivis, ut nunc, asinorum de grege feci.  
 131 Qui cum propter inertem animum geniumque malignum  
 132 naturamque satis firmam rationis egentem,  
 133 ipsi victurae possint nihil addere lucis,  
 134 nec sua vel minimae committere nomina laudi,  
 135 invidia ardentis tenebras inducere certant,  
 136 atque adeo evincunt, ut postquam mystica nuper  
 137 dogmata simplicibus tradi sunt coepta loquelis.  
 138 Sanctaque abusuro mysteria prodita vulgo,  
 139 jamque doceretur caelo gratissima tantum  
 140 rustica simplicitas popularis flamma favoris  
 141 esse rati tempusque suum praedamque paratam  
 142 invasere bonas artes castumque nitorem  
 143 Aonidum nebulis obscuravere nefandis,  
 144 neve latere queant tamquam mala nomina, passim  
 145 expandunt ceu signa sui victricia Martis,  
 146 indomitique fremunt, orbique extrema minantur,  
 147 ni sapiat, meritumque decus victoribus addat.  
 148 Taliter inflati monstra ignavissima, paulo  
 149 ante breves ranae coeperunt esse Gigantes,  
 150 ipsum excisuri vel ab irato Jove caelum.  
 151 Sed lutei, strepituque animati pectora vano

152 si quis in adversos Alcides cornua sumat,  
 153 expediatque manum, sicut jam dura minantur  
 154 istis excidia, et miseris fata ultima clades,  
 155 quem si forte diem nobis sperare relictum est  
 156 et votis optare licet quod pectore toto  
 157 quisque bonus petit, haec aequa mala mente feramus.  
 158 Interea, et lucris praesentia damna futuris,  
 159 solemur, veniamque malis pacemque precemur  
 160 a superis, etenim nisi me praesagia fallunt,  
 161 apparensque animum veri delusit imago,  
 162 jamdudum pulsae victricia Palladis arma :  
 163 rursus honorato spectabimus ire triumpho,  
 164 ignavaeque duces captivos militie  
 165 concutere edomitae haerentia vincula collis.

H. EOBANI HESSI IDYLLION XV.

QUOD INSCRIBITUR EURYTUS, EX CYCLOPE THEOCRITI FACTUS,

AD CLARISS. D. GEORGIUM STURTIADEM, MEDICUM EPHURDIENSEM.

I\_15 v.1 Cum tua, Sturtiade, medicantes pectora Musae,  
 2 Pierides habitent, et te magis omnibus unum  
 3 diligat, atque suas artes tibi monstret Apollo,  
 4 dic, age, quo durum possis depellere amorem :  
 5 antidoto, spargasne manu, num cautus inungas  
 6 qualia tam durae medeantur pharmaca pesti,  
 7 an quae Pierides adhibent solacia, tantum  
 8 virium habent, nam suave quidem mortalibus illud  
 9 inventu haud quaquam facile est, sed et hoc tibi notum  
 10 credidero Musis Medico vehementer amato  
 11 cuique suas artes favet haud invitus Apollo.  
 12 Sic miser insano cum nuper amore periret  
 13 Eurytus urgentes potuit compescere flammam,  
 14 quas neque inutilium captus dulcedine rerum  
 15 combiberat levibusque rosis pomisve pirisve.  
 16 Sed valida totas vi depascente medullas  
 17 vixdum prima genas illi cum barba notaret  
 18 omnia posthabuit ceu frivola praeter amorem,  
 19 formosam quo tabescens ardebat Iolen.  
 20 Noctes atque dies, non illum aurora renascens  
 21 non sol occiduas requietum pronus in undas  
 22 vidit ab infixis sub mollia pectora telo  
 23 a magna Venere et victore Cupidinis arcu.  
 24 Sed tamen hoc contra plusquam letale venenum  
 25 reperit antidotum, scopulo nam tristis ab alto  
 26 pascua prospiciens late subjecta, sub ipsas  
 27 talia cantabat resonantia carmina valles  
 28 quo formosa fugis ? Quid amantem spernis Iole ?  
 29 Candida caseolo magis, omni mollior agno  
 30 ad matrem vitulo fugiente superbior, uva  
 31 durior omphacyna, quid enim crudelis amantem  
 32 ludis ? Et insidias captas rude pectus ad istas ?  
 33 Nam mea cum placidae demisi membra quieti,  
 34 huc formosa venis, somno fugiente recedis,  
 35 et fugis, haud aliter quam quae conspexerit altis



36 agna lupum fugiens in montibus ore timendum.  
37 Verum ne dubites unde hic amor, aut ego fallor  
38 aut ego te certe quo primum tempore vidi  
39 montibus in nostris dulci cum matre legentem  
40 purpureos flores, et odoriferos hyacinthos  
41 haustis incautum flammis in pectus amavi  
42 et tua praecedens mea per vestigia duxi  
43 ostendique locos, et suaves floribus hortos.  
44 Denique ut in viridi residentem gramine fessam  
45 aspexi, et tenero delapsam a corpore pallam  
46 tempore ab hoc pereo, nec tu miserata dolentem  
47 respicis, aut saltem spe consolaris inani.  
48 Quod faceres utinam, nam si sit nulla potiri  
49 posse tuo formosa sinu concessa facultas,  
50 finge voluntatem. Spe consolamur amantes :  
51 at cur me fugias ? Quid enim vel forma vel aetas,  
52 vel quicquid natura boni congegit in unum  
53 deliquisse potest in me ? Mihi pascua florent  
54 mille ovibus, quibus emulsis datur optima lactis  
55 copia, quae nullo deficit mihi tempore, non cum  
56 aut aestas venit Autumnusve, aut bruma nivalis.  
57 Nec me carminibus quisquam praestantior uno  
58 pascit in his nemorum lustris, aut mollibus herbis,  
59 in quibus assidue dum te, mea sola voluptas,  
60 dulce meum lumen, canto, jam fallere noctes  
61 insomnes didici. Sed nunc tibi munera apud me  
62 sunt duo formosi cerva de matre creati  
63 hinnulei fetus et onustae ventribus agnae  
64 bis totidem, tres capreoli, quin utere mecum  
65 huc ad me veniens, sine curet ovilia mater,  
66 colligat interea gratos soror unica flores,  
67 nam potes hoc melius mecum requiescere in antro.  
68 Hic lauri virides hic sunt graciles Cyparissi  
69 nigrantes umbrant hederæ, nec Bacchica vitis  
70 nec gelidum spirantis aquae gratissima desunt  
71 flumina, sive sacri per amoena silentia fontes  
72 queis mihi nec vinum neque nectar dulcius ullum est.  
73 Quod si rusticitas tibi displicet haec mea, debes  
74 silvanis et te meminisse parentibus ortam  
75 talem tamquam diis similem, ne dura superbi.  
76 Si pergis tamen et rides mea vulnera, quaeso  
77 extremum huc formosa veni, da munus amanti  
78 hoc saltem, sunt ligna mihi, sunt robora, quercus  
79 sunt fagi, fomenta futuro protinus igni,  
80 subjice me flammis, ferventibus ure caminis  
81 ut facis, hanc vitam te propter, et omnia ponam  
82 cara prius, dum crudelis tua dextera perdat  
83 me miserum, vita mors gratior illa futura est.  
84 Hei mihi, quod volucrem me non genuere parentes,  
85 o utinam subitas addat mihi Juppiter alas  
86 protinus ad te abeam sublimis, et oscula ferrem  
87 o saltem manibus, si nolis cetera tangi,  
88 collectisque sinum, qui me mihi sustulit, istum  
89 floribus implerem violisque rosisque thymoque  
90 et, quae mille meis superant in montibus, herbis  
91 lilia praecipue ferrem rubrumque papaver.  
92 Nec tibi forte dari possent simul omnia namque  
93 horum quaedam aestas, quaedam fert bruma nivalis,

94 nunc tamen, o formosa veni, quin surgis Iole  
 95 ad me profectura, domumque oblita reverti  
 96 ipse ego quod facio jamdudum, haec saxa frequentans  
 97 quod superest mecum traducis molliter aevi  
 98 pascere oves vero non dedignabere nostras  
 99 nec pudeat niveos mulgere ex ubere lactes  
 100 caseolosque manu componere, sola tamen me  
 101 dura parens offendit, ut autem conqueror illi  
 102 vulnera quae patior semper tacet, et nihil umquam  
 103 dulce tibi de me loquitur, sed ut illa vicissim  
 104 se maceret, dum me sine succo, et sanguine, toto  
 105 corpore defectum videt, hic ego fingere causam  
 106 et vero falsum soleo praetendere morbo.  
 107 Namque aegrum doleo caput, et pede labor utroque  
 108 et nihil est, inquam, quod me levet, illa profecto  
 109 his male torquetur, namque et male torqueor ipse  
 110 stulte sed o nimium quid nam furis, Euryte ? Quis nam  
 111 te deus evertit ? Quae mentem turbat Erinnyis ?  
 112 Quam fuerat melius calathos contexere, et altos  
 113 lanigeris ovibus, quos rodant sternere ramos  
 114 hanc mulge interea, quid enim fugientia captas  
 115 gaudia, forte aliam quae sit formosior illa  
 116 invenies, quin pergis, amarunt me quoque multae  
 117 et mecum longa cupierunt nocte puellae  
 118 ludere, dulce omnes et suavi voce canentes  
 119 non adeo passim contemnor, et ipse aliquis sum  
 120 sic bonus ille canens compescuit Eurytus ignem  
 121 ipse suum curans, divino carmine vulnus  
 122 quod non herbarum potuisset viribus ullis  
 123 aut empta pretiis ingentibus arte levare.

#### H. EOBANI IDYLLION DECIMUMSEXTUM.

ENCOMION URBIS NORIBERGAE  
 AD ERUDITISS. ET MAGNIFICUM D. HIERONYMUM BAUMGARTNERUM,  
 EJUS URBIS VIRUM PATRICIUM, ET CONSULAREM.

I\_16 v.1 Hic quoque silvestres paulum secedite Musae  
 2 assuetae salices mecum canere inter opacas  
 3 Naiadum chorus omnis Hamadryadesque puellae  
 4 silvarum dominae Dryades, florumque Napaeae  
 5 quaeque vagae summas habitatis Oreades arces,  
 6 ite agedum nemora, et vestri colite avia regni  
 7 interea, et Satyris levibusque assuescite Faunis,  
 8 nos majora vocant reduces in carmina Musae,  
 9 Musae non tantum caulas cantare suetae  
 10 verum etiam clarasque domos, et culta potentum  
 11 quantumvis timido pede limina tangere regum  
 12 oblitae silvarum inopisque per avia vitae.  
 13 Huc ades ergo mei pars non injusta laboris  
 14 qui patrium cultis ducis cognomen ab hortis  
 15 Pieridum sacris, Hieronyme docte, sub umbris  
 16 otia civiles non destituentia curas,  
 17 quem fau-trix gremio fotum fortuna benigno

18 extulit, et merito virtus in honore locavit.  
19 Huc ades et mecum ruralia verba perosus  
20 ad desueta redi civilis carmina famae  
21 dum canimus claris praestantem dotibus urbem  
22 urbibus, ingenti quascumque in Teutonis ora  
23 sol videt, Europae media in regione locatam.  
24 Hic ubi flavescentes pulcher Pegnesus arenas  
25 volvitur et eximiam piscosis flexibus urbem  
26 per medium secatur, et fluvio perfunditur amoeno :  
27 salve amnis victurae diu, si forte Camenas  
28 ulla manet nostras venturae gloria famae  
29 qui rapidus recto Phoebi nascentis ab ortu  
30 Norica lenifluo percurris moenia lapsu  
31 felix ante alias urbes urbs Norica berga  
32 digna tuae quae voce feram praeconia laudis ?  
33 Nulla reponendae sat erunt Idyllia famae  
34 et referenda olim memores tua facta sub annos.  
35 Fortunam domina siquidem virtute gubernas  
36 dives opum, fecunda viris, pulcherrima cultu  
37 legitimae studiis asperrima militie  
38 nobilibus clara ingenii, quascumque per artes  
39 ire libet, seu naturae secreta latentis  
40 seu te multiplicis Zonas et climata mundi  
41 astrorumve juvat casus cognoscere et ortus,  
42 nusquam culta magis floret divina Mathesis,  
43 seu numeris opus est, seu mensi partibus orbis,  
44 seu ratione operum videas certantia mille  
45 ingenia artificum, parat hic ductura sub altum  
46 aethera praeruptas aerata volumina moles.  
47 Ille mathematico certas in pulvere metas  
48 destinat, et radio numquam fallente gubernat.  
49 Quid rupti tormenta sonos imitantia caeli,  
50 quid statuas Polyclitaea non arte minores ?  
51 Cetera quid memorem non his accommoda Musis  
52 arduiora quidem silvis non ista professis  
53 grandia, et Heroo tollenda ad sidera cantu.  
54 Nunc velut egeida tecum spatiat in umbra  
55 rure suburbano patrias, Hieronyme, laudes  
56 ipse tibi calamo pingam non semper agresti :  
57 macte animo nostris juvenum gratissime Musis  
58 digne tuis annis patria dignissime tali  
59 quam tibi si patriam contingere fata negassent  
60 esse velis patriam, postquam nunc dotibus istis  
61 innumeris, quibus ante alias sic eminent urbes,  
62 ut Sol ante alios astrorum prominet ignes,  
63 adjicit ingenuas, cumulat, fovet, erigit artes.  
64 Nam velut exilio pulsus hoc tempore Musis  
65 hospitium dedit, et profugis patefecit asylum  
66 primumque tot gentes inter per Teutona regna  
67 luminibus captas animi, sua commoda vidit  
68 et bona cognovit sua, quae nec passa perire est,  
69 sed tenuit stabilique locavit in arce retenta.  
70 Felicem populum, qui tam florere beatissimis  
71 ingenii voluit, quam multa pollet opum vi  
72 hoc erat Attidibus praereptum nomen Athenis  
73 invexisse suis per honestas moenibus artes.  
74 Sic aequanda fuit florentis gloria Romae  
75 parte aliqua, quis enim totam petat improbus ? Ergo,

76 nate bonis avibus, patriae gratare potenti  
77 quae te nunc alacris vernantem in flore juventae  
78 florens ipsa suis dignatur honoribus auctum  
79 praeter opes etiam fortunatis Hymenaeis.  
80 Sed quis in eximiis praestanti laudibus urbe  
81 non etiam privatus amet latuisse ? Focosque  
82 exiguos colat, et tacitis agat otia curis ?  
83 Justitiamque patrum miretur ? Et omnibus aequas  
84 quis credat, populi per tot discrimina leges ?  
85 Fortunata tuis meritis Respublica, cujus  
86 jura regit sapiens tranquilla in pace senatus,  
87 sic paci fidens, ne munera militie  
88 negligat, et positis ignaviter incubet armis  
89 nec luxu vacuam corrumpi deside plebem  
90 permittat, non illecebris ignava juventae  
91 otia inutilibus foveat, non ulla voluptas  
92 praevalcat, non hic turpi locus ebrietati.  
93 Nulla hic infames vulgata libido popinas  
94 inficit, aut vires melioribus eripit annis,  
95 oppressas multa viciorum aspergine, verum  
96 si qua dies requiem curis civilibus affert ;  
97 passim exerceri videas, juvenesque senesque  
98 artibus armorum, et veri praeludia belli,  
99 Martiaque urbanos meditari castra togatos.  
100 Hinc aliis studium celeres torquere sagittas  
101 praefixamque levi contingere arundine metam.  
102 Agmina componunt alii properata, docentque  
103 signa sequi, densant cuneos, hi cornua ducunt,  
104 extenduntque aciem, firmantque sequacibus alis.  
105 Haec ita, si qua tulit ratio, nec semper aguntur,  
106 nec tantum his studiis adolescit Norica pubes  
107 verum etiam quibus et mores animique vigorem  
108 erudiant, nec enim naturae sponte disertis  
109 aucta deest studio facundae copia linguae.  
110 Aspice quemque suo conscriptos ordine patres.  
111 Nemo erit ex illis quem linguae dona Latinae  
112 destituant, quosdam Graia mirere loquentes  
113 doctus honorata tam regnat in urbe Senatus,  
114 legibus hinc firmata suis Respublica, nullos  
115 fortunae insultus metuit, sic viribus omnes  
116 in casus firmata suis, sibi sola superque  
117 est satis, hinc quoque privatis accessio rebus.  
118 Hinc fovet unanimes stabilis concordia cives  
119 praetereo sanctos in publica commoda mores  
120 impositos, vitaeque datas communis habenas,  
121 praescriptoque pudicitiam se fine tenentem  
122 legitimi vetitam temerare cubilia lecti,  
123 Christicolae animos, et religionis amorem  
124 cultaque praecipue divini oracula verbi  
125 ipsa tacere volet, nec enim sibi laudibus istis  
126 urbs placet, aut ullos istis ex rebus honores  
127 arrogat, ipsa sui testis sibi proxima sensus.  
128 Ipse ego Hiericola nuper digressus ab urbe,  
129 per nemora Hercynii, jam non incognita, saltus,  
130 nomina Pegnesi stabam miratus et undas  
131 Thessala ceu pulchrum peragrantem Penea Tempe,  
132 dii quales arces, dii qualia moenia vidi ?  
133 Qualibus urbanas exstructas molibus aedes

134 qualia marmoreis surgentia tecta columnis  
 135 marmore, quale solet producere Norica tellus  
 136 arcibus aeternis haud quaquam vile locandis  
 137 naturae ingenio quodam, quo namque recisum est  
 138 tempore molle fuit, facile et tractabile ferro  
 139 postquam auras tetigit superas, mirabile dictu,  
 140 durescit magis atque magis, roburque manendo  
 141 concipit, et senio superat durante juventam.  
 142 Pluraque non patrios in saecula prorogat annos,  
 143 hoc lapide assurgunt civilia tecta per omnes  
 144 (aequatis certo regionibus ordine) partes  
 145 supra privatos quam possis credere sumptus  
 146 sufficere, et tantas potuisse attollere moles,  
 147 magnorum dicas aequare Palatia regum.  
 148 Publica quid memorem longis opera aedita ab annis ?  
 149 Quid nova semper adhuc surgentia ? Qualibus autem  
 150 et quibus aerias templorum culmina turres ?  
 151 Murorum impositas fossis ingentibus arces :  
 152 horrea, fana, lacus, fontes, tot suscipiendis  
 153 hospitibus loca, tot sumptus in publica, egenis,  
 154 aegrotis alimenta, domos, medicamina, curas :  
 155 et sunt haec alio nobis majore libello  
 156 edita, quo per cuncta tuas urbs Norica laudes  
 157 diximus, et meritas tibi justo in carmine grates.  
 158 Quid tibi marmoreis conjunctum pontibus amnem  
 159 prosequar exemplis ? Quibus exsequar omnia verbis ?  
 160 Quo ruis imprudens silvarum oblita tuique  
 161 Musa ? Quid urbanas affectas rustica laudes  
 162 dicere, vix humilem bene sufflatura monaulon ?  
 163 Haec tibi sunt alia praeconia voce canenda,  
 164 tunc ubi grandisono dignum pede nacta cothurnum  
 165 liberiore manu sublimia plectra movebis,  
 166 nunc pede te decuit proprio consistere mensam  
 167 limite praescripto, nec parvi saepta peculi  
 168 transiliisse, licet veniam praefata, relictis  
 169 me duce, vicinam, silvis, intraveris urbem,  
 170 non tamen usque adeo verbis civilibus usam  
 171 efferri decuit. Quin tu quoque laudibus istis  
 172 jamdudum vacuas, Hieronyme, subtrahis aures,  
 173 et meliora vacaturas in carmina servas.  
 174 Ut tamen haec (si non intempestiva fuerunt)  
 175 consuluisse velis aequique bonique rogamus,  
 176 carmina deinde tibi meliora canemus, et urbi  
 177 postquam haec quae dedimus non displicuisse sciemus.

Scriptum Noribergae M.D.XXVI.

#### H. EOBANI HESSI IDYLLION XVII.

ERPHURDIA, DE COLLAPSO SCHOLAE ET REIP. STATU,  
 COLLOQUUNTUR ERYSIPTOLIS NYMPHA, ET HIERAS FLUVIUS.

ERYS.

I\_17 v.1 Parve, sed Hercyniae de quodam vertice rupis

2 edite, Thuringum qui flumine proluis agrum  
 3 irriguo, et rivis sitientes mitibus agros  
 4 sole sub ardenti potas, ubi copia aquarum  
 5 caelestum non ulla datur, qui flumine secto  
 6 dividis ipse tuam millenis flexibus urbem,  
 7 dic age, Naiadum purissime frater Hiera,  
 8 cur solito frontem demissior inter et alnos,  
 9 inter et agnatas salices labare decorum,  
 10 paene cruentata confusus arundine crinem ?

HIER.

11 Nympharum decus, o Erysiptoli, numen et urbis  
 12 et patriae, tam damna queri quam quaerere tempus  
 13 nostra vetat miserum, quo nos praesentibus urgent  
 14 fata inimica malis, nec te latet unde cruentae  
 15 hae mihi contingant maculae, nec honoris adempti  
 16 ignoras causam, quando communibus urbem  
 17 hanc studiis colimus, cujus nunc fata profusis  
 18 defleo tot lacrimis, qui me nunc paene dolores  
 19 conficiunt, hinc paene vides mea flumina sicca,  
 20 quodque undae superest atrum traxisse colorem.

ERYS.

21 Frater, et Oceano mihi carior amnis, acerbis  
 22 nunc lacrimis absiste, tuoque e flumine sacrum  
 23 attollens caput, has mecum considerare subter  
 24 ipse velis corylos, et respondere vicissim,  
 25 mutua dum gravibus meditemur carmina curis  
 26 si qua levent, nam forte levant et carmina curas,  
 27 longaque saepe breves minuerunt damna querelae.

HIER.

28 Ad desueta vocas jamdudum munera, nec me  
 29 rite senem juvenili operi committere tentas  
 30 quando nulla meas circum, nunc carmina, ripas  
 31 ut quondam sonuere, sonant, Musaeque retrorsum  
 32 concessere omnes, inimica a gente fugatae,  
 33 quas me posse putas in mutua carmina cannas  
 34 sufficere ? Heu nostri non est ea gratia saeculi.

ERYS.

35 Et memini, et meminisse dolet, quia nulla supersunt  
 36 temporibus nostris priscae vestigia laudis,  
 37 usque adeo concessit amor probitatis et aequi.  
 38 Inque locum subiere nefas, dolus, arma, libido,  
 39 insidiae, et victae expultrix discordia pacis.

HIER.

40 Qua tu nunc id in urbe loqui sis ausa videndum est  
 41 haud equidem tuta est libertas saepe loquendi.

ERYS.

42 Solane pacis egens ruptas Erphurdia leges  
 43 conqueritur ? Metuitque affligi ultricibus armis,  
 44 an confectae altae poenis gravioribus urbes  
 45 quas nunc fracta videt dubiis Germania fatis ?

HIER.

46 Quis propiore neget quasdam nutasse ruina,  
 47 nec cecidisse tamen, nam quantacumque labarint  
 48 clade facultatum, facilis reparatio rerum est,  
 49 famae difficilis, vereor ne poena malorum  
 50 hoc veniat nobis gravior, quo serior inter  
 51 hoc tamen est, multum deliqueris, an minus, ut te  
 52 liberet aut vanis, aut veris conscia curis  
 53 mens agitet, pacemve queas bellumve pacisci.

ERYS.

54 Nostra quidem nullas bellorum Erphurdia causas  
 55 aut dedit, aut umquam salva ratione datura est ;  
 56 sed quia se propriis defendere legibus ausa est,  
 57 et sua jura sequi, potuit peccasse videri.

HIER.

58 Cur igitur tot signa jacent convulsa ? Tot aedes  
 59 dejectae, aequat aequae solo ? Cur omnia pulsas  
 60 templa sacris occlusa silent ? Ceu Christus ab aris  
 61 exsulet, et nullos ultra mereatur honores,  
 62 qualibus illa coli majestas debet, et olim  
 63 adsuevit, mentesque pias placata benigno  
 64 respexit vultu, seseque vocantibus ultro  
 65 obtulit, infuditque animis pacemque fidemque,  
 66 parta piis precibus, nunc aversatur et odit  
 67 degeneres in bella animos, pacemque perosos.

ERYS.

68 Justa quidem sprete de religione querela est,  
 69 verum non parvo cum sit discrimine major  
 70 quam quae per nostras tractari possit arenas,  
 71 pulchrum erat intactam dimittere, parva professos  
 72 non decuit magnis frustra se immittere rebus.

HIER.

73 De signis responde igitur tabulisque revulsis,  
 74 aequatisque solo saeptis, levibusque salinis.

ERYS.

75 Viderit hoc cui sunt urbis commissa regendae  
 76 munera, nos isti est odiosum insistere curae.  
 77 Forsitan ille suo se jure tuebitur ordo  
 78 quem non usque adeo stultum puto, frivola vulgi  
 79 consilia ut laudet, ducatque sequenda per omnes,  
 80 ut possunt varii rerum praevertere, casus.

HIER.

81 Felix ante alias et non ignobilis urbes  
 82 si pulchros in flore tuo decerpere fructus,  
 83 non etiam velles truncos evellere, et ipsas  
 84 radicum fibras, Erphurdia, quam tua nuper  
 85 gloria plena fuit, quam floruit incluta fama,  
 86 cum te pacatis pulcherrima rebus agente  
 87 otia, certatim te, ceu confusa, bearent  
 88 munera, de toto tibi succrescentibus orbe  
 89 divitiis, ut vix umquam cumulatior ullis  
 90 gentibus extulerit fecundum copia cornu.  
 91 Quam nunc fracta eadem, quam nunc tua gloria marcet,  
 92 quam nunc illa tibi defloruit incluta fama.  
 93 Postquam fracta malis indigna mole laborum  
 94 pressa jaces, lugesque tuis miserabilis ipsis  
 95 hostibus, et veteres frustra jam respicis annos.

ERYS.

96 Desine tam tristi nimis indulgere querelae,  
 97 care senex, fluviique parens mihi multa ferentis  
 98 commoda, non adeo miseris Erphurdia fatis  
 99 concidit, ut nullis talem emendare ruinam  
 100 auxiliis possit, modo sit non tarda voluntas,  
 101 ipsa aderit modo, non aliquo prohibente, facultas.  
 102 Non cecidit male qui bene surrexit, sapit autem  
 103 quisquis dura suo didicit cavisse periclo.

HIER.

104 At jacet interea nihilominus, aegraque maeret,  
 105 valde incerta sui possitne resurgere, et umquam  
 106 ah male servatos iterum contingere honores.

ERYS.

107 Quos male servatos mihi tu depingis honores ?

HIER.

108 Ut reliquas taceam quibus haec Res publica quondam  
 109 laudibus eminuit, quanti tu Palladis arces  
 110 sedibus evulsas propriis facis ? Illane totam  
 111 moenibus incumbens clades concusserit urbem ?  
 112 Illane dii quantos hinc deportarit honores ?

ERYS.

113 At Pallas manet ipsa, manent et Palladis arces  
 114 sedibus innixae propriis immobile regnum.

HIER.

115 Non ego marmoreis surgentes molibus arces  
 116 tectave celsa loquor, sed ab ipsis arcibus artes  
 117 demissas, caeloque datas mortalibus usu.  
 118 Unde per humanas princeps sapientia mentes



119 fusa, suis regeret confusum legibus orbem  
120 humanumque genus divis componeret ipsis.

ERYS.

121 Tam firmum natura nihil produxit, ut esset  
122 semper idem, fortuna vices et tempora mutat  
123 et nunc summa premit, nunc infima tollit in altum.  
124 Floruit haec fateor studiorum urbs nuper honore  
125 praeripuitque aliis simili in certamine palmam  
126 quotquot Germani sunt in regionibus orbis.  
127 At nunc cassa dolet tantae cognomine laudis  
128 ipsa suis afflictata malis, sibi noxia soli  
129 in poenasque satis, quas non aliunde coactas  
130 ipsa sibi inflixit, secumque invenit, ut esset  
131 in se ipsam fatuae furiosa licentia plebis.  
132 Nunc vero hoc melius sapiet, meliorque resurget  
133 quo gravius cecidit, major post sumpta voluptas  
134 damna venire solet, blandi ut post nubila soles.

HIER.

135 Vidi ego Palladias cum praeterlaberer arces  
136 mille greges juvenum qui tum studia ista colebant,  
137 has mecum virides ripas et prima legentes  
138 littora certantes secum deducere Musas.  
139 Has nunc desertas ubi praeterlabimur arces,  
140 Musarum apparent vestigia nulla, nec usquam  
141 ullius ulla chori certamina, nulla voluptas,  
142 carmina nulla sonant, nullae per proxima voces  
143 compita, ni Lycios cultu hoc dignemur agrestes  
144 multa quod in viridi limo mihi rana coaxet.

ERYS.

145 Ipsa etiam memini cum me praeunte decoro  
146 agmine spectandi studio mirata juvenus  
147 certatim rueret, totaque ex urbe frequentes  
148 festa coronatis agerent spectacula larvis  
149 et toto canerent resonantia júbila caelo.

HIER.

150 Non apud externas tantum bona nomina gentes  
151 huic urbi peperit castae Schola plena juventae  
152 verum et opes lucrumque decens invexit, et auxit  
153 commoda tam privata hominum quam publica rerum.  
154 Ergo quid ignoras? Vel, quod facis, ipsaque res est,  
155 dissimulas tua damna, quibus te scilicet aequum  
156 consultum voluisse fuit, cui cura tuendae  
157 urbis agebatur, nisi falso nomine dicta es.

ERYS.

158 Vera, pater, memoras, sicut sunt plura, nec ulli  
159 quam mihi, nota magis, sed me pudet urbis, et hujus  
160 nominis ingrati, cujus quia nulla videtur  
161 digna satis, nimium justae, excusatio culpa,

162 quis non auxilii mecum miseratus, egentem  
163 defleat, et tristi doleat cecidisse ruina ?

HIER.

164 Quam vereor ne sera tuae, nec justa querelae  
165 causa sit, accisis rebus quae commoda flendo  
166 consequimur ? Sed enim prius haec deflesse decebat.  
167 Nunc ope, non lacrimis opus est, nec noscere promptum  
168 morbi principium, nec quod sit, dicere tutum est.

ERYS.

169 Inconcuſſa ſuo veri ſtat pondere virtus  
170 dicentem quamvis in mille pericula mittas.  
171 Quare age tam gravium cauſas expone malorum,  
172 nam potes, atque tuae ſunt omnia nota ſenectae.

HIER.

173 Prima mali labes, et tantae cauſa ruinae  
174 fluxit ab indoctis monachorum bardocucullis.

ERYS.

175 Qua ratione precor ? Nec enim cognoſcere promptum eſt  
176 complures habeat cum vita monaſtica doctos.

HIER.

177 Semper ſalva ſua eſt in quovis ordine doctis  
178 gloria, at indocti ſemper pars maxima regnant.

ERYS.

179 Qua ratione igitur tantam invexere ruinam  
180 (nam ſolos memoras) monachorum bardocucullis ?

HIER.

181 Non tamen uſque adeo ſolos, nam plurima vulgo  
182 turba profanatis accedit bardocucullis.

ERYS.

183 Credo equidem quia quam memoras ea maxima turba eſt,  
184 ſed quia non ſapiens non hoc potuiſſe putarim.

HIER.

185 Invidiam ſtudiis, ceu peſti relligionis,  
186 fecerunt, poſtquam mentiri impune receptum eſt.

ERYS.

187 Qua ratione iterum ſtudiis potuere favorem  
188 detrudere ? Indoctis quis credat bardocucullis ?

HIER.

189 Maxima pars hominum veris mendacia praefert,  
190 prava quibus sese sentit natura juvari.

ERYS.

191 Sponte igitur studiis inimicum vulgus ab istis  
192 impulsum furiis contemptas perdidit artes.

HIER.

193 Perdidit, et reparandarum spem praescidit omnem,  
194 ni faveat dextri clementia provida fati.

ERYS.

195 Talia luctantes dispergant omina venti  
196 votis fautor adest semper deus aequus honestis.

HIER.

197 Saepe tamen spes injustas fortuna fefellit  
198 nec sperare potest bene, quisquis turpiter egit.

ERYS.

199 Verum nemo negat nisi vanus et ater et excors  
200 hei tamen anne aliqua credas ratione renasci  
201 posse triumphato Musas Helicone peremptas ?

HIER.

202 Sicut ab aequoreis oritur Sol aureus undis  
203 laetaque terrigenis infundit lumina rebus :  
204 gloria se cupido studiorum non secus orbi  
205 explicuit cum pestis atrox invidit, et ausa est  
206 exortum toti ceu solem tollere mundo.

ERYS.

207 Quam brevis illa fuit, quam non sincera voluptas  
208 sed pudet, et durum est istam repetisse querelam  
209 et vana invidia totiens onerare malignos.  
210 Ergo, age, qua possint Musae ratione renasci  
211 si potes expedias, citius reprehenderis actum  
212 quam satis emendes, mens anxia nostra futuri est.

HIER.

213 Certa quidem ratio est quae Musas sola fugatas  
214 restituat, si frena malis injecta, loquendi  
215 libertatem adimant, plus quam mendacia, ne sint  
216 quorum privatis aliena calumnia rebus  
217 adstruat, et propriis damnosa licentia palpet  
218 credentem vitiis populum, sed sera medendi.  
219 Haec via ne fuerit vereor, quia serpit et ipsos  
220 obsidet haec etiam pestis deterrima reges

221 atque adeo involvit, secum rapit, obruit, aufert  
222 omnia quae meruere prius laudemque decusque,  
223 praecipue studia, et Musarum nobile regnum.  
224 Plura vetant lacrimae confusa in verba cadentes,  
225 Nympha, vale, tantoque volens ne cede dolori :  
226 quae mala nunc quereris forsan meliora sequentur  
227 me quoque turbato labentem flumine cernes,  
228 donec forte aliquam melior fortuna salutem  
229 adferat, et studiis reddat, quem debet, honorem

ERYS.

230 et tu, care, vale senior, fluvioque sereno  
231 labere, sic placido Salas te misceat Albi.  
232 Sic te non proprio venientem flumine Tethys  
233 accipiat, totique vagum circumferat orbi,  
234 ut sciat hanc mecum merito cecinisse querelam  
235 cuncta tridentifero circumdata numine tellus.

-----